

Et ita utraque parte acriter informante, & omnibus Dominis suffragantibus ex speciali Sanctissimi Commissionis resolutione fuit &c.

ROMANACENSUS PRO FELICE TIBALIA CUM MARCHIONE DEL DRAGO

Causa variè decisa per Rotam.

An creditor, qui creditum alteri cessit, valeat, cessione non obstante, debitorem quamvis invitum cogere, atque contra eum ejus actiones exercere, sive ab eo solutionem debiti recipere, seu aliàs debitorem liberare, vel debitum novare, in præjudicium cessionarii.

SUMMARIUM.

- 1 Adh series.
2 Resolutiones cause.
3 An filii in conditione positi in contractibus censeantur vocati ex statuto Urbis.
4 De requisitis sent. in l. 3. C. de novat.
5 Illic cessantibus debitor cessus bene solvi cediti, & qualis debeat esse denunciatio cessionarii facta debitori.
6 Quod ubi cessio est ampla, debitor male solvat cedenti, etiam sine requisitis.
7 De differentia ubi agatur de principali creditore, vel de cessionario, qui alteri cedat.
8 Revertitur conclusio, de qua num. 6.
9 De eodem. & quid accedens scientia sine requisitis.
10 Quomodo ista materia decidi debeat.
11 Quod in hac facti specie debitor cessus non potuerit solvere cedenti.
12 & 13. De materia in genere, an cedens possit exigere, vel acceptilare, seu quietare debitorem, cum distinctio nibus.
14 An possit transigere.
15 Potest cedens etiam concurrentibus requisitis agere ad commodum cessionarii.

DISC. LXX.

EX censu per Joannem Petrum del Drago in sorte scutorum 3300. imposto ad favorem auctoris Plautille, per istam cessa fuit rata scutorum mille ad favorem Dianæ matris pro totidem ab ista sibi traditis in pecunia occasione ejus nuptiarum, unde debitor cessus, & successivè Marchio ejus filius, & hæres fructus solvit tam Dianæ, quam postmodum Franciscæ Felicis filiz usquequo de anno 1635. eundem censum cum hæredibus dictæ Plautillæ cedentis per actum retromissilem restitutionis fortis extinguit, Cumque Felix cessionaria præterderet dictam extinctionem esse male factam cum cedente, ac propterea ea non obstante mandatum pro fructibus ab A. C. obtinisset, hinc devoluta per appellatorem causa in Rota coram Bichio sub diebus 17. Junii 1652. & 15. Junii 1654. ad favorem Franciscæ Felicis prodierunt resolutiones pro dicti mandati executione, Reproposita verò causa coram eodem sub die 14. Junii 1656. recedendo à decisis, contrarium pro valida extinctione resolutum fuit, neque quod sciam causa ulteriorem progressum habuit ob sequutam dictæ Felicis mortem, cujus hæredes fortè contenti fuerunt recipere sortem jam extantem, sed vinculatam in tot locis montium, disteque primæ decisiones habentur inter illas ejusdem Bichii dec. 514. & 610. ultima verò revocatoria cantat sub nomine Alberghi utpotè extensa per eum in locum Bichii defuncti subrogatum.

In his autem disputationibus de pluribus articulis actum fuit, & præsertim, an filii dictæ Plautillæ cedentis tanquam in conditione positi, esset, necnè vocati, adeo ut dicta cessio eos non afficeret, sed venirent ex persona propria; Vel è converso, cessante vocatione, venirent tanquam Plautillæ cedentis hæredes; Primò enim casu, ego scribens pro actrice, admittebam, quod extinctio cum dictis filiis bene facta esset ob invaliditatem, vel resolutionem cessionis factæ per dictam Plautillam fideicommissio gravatam in præjudicium fideicommissariorum, secus autem è converso, ubi extinctio in præjudicium cessionarii fieri non potuisset cum cedente, dum ita neque cum ejus hæredibus.

Cumque in dictis primis decisionibus præsertim in secunda 15. Junii 1654. quæ est in materia notabilis, firma-

tum fuisset filios in conditione positos occasione pacti reversivi non censeri vocatos, non obstante statuto Urbis 142. per quod filii in conditione positi, censetur vocati, dum ex facti circumstantiis constabat eos, non principia- liter, ac dispositivè in conditione positos fuisse, sed incidenter, vel causativè occasione pacti reversivi, ita comprobantibus aliquibus clausulis, ac verbis libertatem denotantibus, ac fideicommissum excludentibus ex iis, quæ super hoc articulo habentur deducta sub titulo de fideicommiss. disc. 80. Hinc proinde major, & pene tota quæstio fuit super alio articulo sub hac materia cedente, an scilicet debitor cessus, non obstante cessione solvere potuerit cedenti in præjudicium cessionarii, adeo ut liberationem consequutus fuerit, vel potius è converso dicta solutione, non obstante, ad iteratam teneatur ad terminos textus in l. 3. C. de novat. cum ibi notari.

In hoc autem articulo, Scribentes pro debitore se tuerent cum extinctio facta cum cedente, vel ejus hærede, fundamentum constituebant in circumstantiis facti, cum quibus in ultima decisione revocatoria processum fuit, ex quibus excludi prætendebatur concursus alicujus ex requisitis positus per textum in dicta l. 3. quorum duo in hac facti specie ex parte actricis concurrebant dicebantur; Unum scilicet interpellationis, seu denunciationis; Et alterum recognitionis mediante solutione fructuum facta cessionariæ, vel ejus hæredi, quod scilicet dicta denunciatio fuisset pro solutione fructuum tantum, non autem pro cessione ipsius substantiæ census, ejuisque fortis principalis; Undè propterea debitor, ad cujus notitiam qualitas cessionis distinctè non fuerat deducta, opinari potuit quod fuisset assignatio pro solvendo, redolens speciem mandati ad exigendum, juxta distinctionem in præcedentibus pluries insinuatam inter cessionem pro solvendo, ac illam pro soluto.

Atque ita de consequenti dicebatur non obstante solutione fructuum plurium annorum spatio factas, utpotè referribiles ad hanc speciem cessionis non tangentis substantiam ipsius census, & de consequenti non impediens facultatem extinguendi cum ipso principali creditore ex iis, quæ cæteris relatis habentur decis. 161. n. 1. & 2. dec. 292. n. 7. & 513. n. 10. post Cenc. de cens. decis. 324. p. 11. rec. ubi n. 10. & 11. quod requiritur, vel Judicis inhibitiio, vel denunciatio distincta cum exhibitione instrumenti cessionis, omnibique ejus qualitatibus, ut in ultima decisione anni 1656. deducitur.

E converso autem, causæ Patronus pro hac parte dicebat oppositum justificari super explicita dicti debitoris cessi notitia, adeo ut quæstio videretur potius facti quam juris.

Ubi verò non bene justificatis dictis requisitis, vel eorum aliquo, de ipso puncto in genere agendum esset, An scilicet & quando, non obstante defectu interpellationis, debitor cessus solvens cedenti bene solvat, ac liberationem obtineat: Scribens ego tanquam Advocatus, dicebam quod cum cessio concepta esset per verba ampla, & prægnantia, translativa omnium actionum, nihil pro se retinendo, hinc proinde volvens cedenti, quamvis non interpellatus, vel non conscius, male solvit, neque liberationem obtinet, sed ad iteratam solutionem cogi potest à cessionario, sibi remanente actione contra cedentem ad indemnitatem, seu revelationem, ut ita explicite pluribus relatis firmat Salead in labyr. par. 1. c. 27. nu. 62. ubi desumendo plures auctoritates ponderatas per Surd. consl. 22. nu. 36. & seq. & per Cenc. de cens. qu. 67. nu. 6. & seq. & quest. 100. nu. 31. & seq. explicite, ut dictum est, firmat non posse solvi etiam per ignorantem, ex eo quod ob amplitudinem verborum, & clausularum, illæ actiones directæ, quas nostri dicunt non esse cessibiles utpotè affixas ossibus, ita remaneant inutilis, ac nullius operationis.

Clarior verò dicebam id procedere in hac facti specie, cum cessabat dicta consideratio dictarum actionum adhuc remanentium pene cedentem, cum dicta Plautilla non esset principalis creditrix, sed etiam cessionaria alterius, & consequenter haberet solum utiles, quibus cessus nihil pene eam remansit, ut in specie cæteris relatis, de hac differentia inter cessionem primæ, ac directæ creditoris, & secundæ, seu cessionarii habetur apud Oleam de cess. tit. 8. quest. 2. nu. 27.

Quamvis autem Salgadus ita loquatur, adeo ut pluries, ac pluries coram multis Judicibus doctrinam in sola littera pro stylo attendentibus, pati oportuerit (per modum loquendi) sudorem sanguinis, vel mortis, ad eos cedendum capaces de hoc æquivooco, Atamen illud semper credidi nis-

mis manifestum, (quamvis in elaborato, ac docto viro,) quoniam hæc circumstantia amplitudinis verborum & clausularum, ob quam actiones directæ, quæ pene cedentem remanent, omninò inutilis, ac inefficaces effici dicuntur, est de jure vera ad alios effectus, non autem ad istum, quoniam nedum omnibus principis juris scriptis, sed etiam naturalis, ac libertati humani commercii adversatur, ut ille, qui ignarus, ac bona fide solvit proprio creditori, cum quo contraxit, & cui solvere promissit, dicatur male solvere, adeo ut iteratam solutionem cogi valeat, Tum ob receptissimum principium, ut cessante inhibitione legis, vel hominis, sufficiat distrahere cum eo, cum quo nomine proprio contractum est, quamvis distrahens sciat quod bona, vel jura in contractum deducta ad alterum spectarent, seu essent alteri affecta, quoties pro eo stipulatum non est, ut pluries in præcedentibus advertitur ex regula textus in l. nomen, C. quæ res pign. obligat. post. atque tanquam absolutum admittitur in casu debiti expresse contracti de aliena pecunia, ac alieno nomine, quoties ipsi contractanti promissum est solvi, de quo sub tit. de cens. disc. 24. cum similibus.

Tum etiam, quia esset ita latissimum aperire aditum fraudibus, & collusionibus, quoniam posset quilibet, colludendo cum conjuncto, vel fiduciaio, huic in amplissima forma cedere debitum, deinde ab ignavo debitore exigere, ut postmodum cessionarius illud denovo exigat absque debitoris revelatione ob cedentis impotentiam, & quandoque etiam ratione potentiz, unde propterea idem à Salgado relati & præsertim Cenc. d. qu. 109. n. 31. & seq. & Olea scribens post Salgad. quoniam refert dicta quest. 2. tit. 8. n. 13. cum seq. & per totum discursum, & alii id supponunt tanquam absolutum, ut revera est, aliquibus solum dubitantibus, ubi accedat simplex scientia, alias quam per dicta requisita posita per textum in dicta l. 3. super quo, & aliis ad istam materiam pertinentibus, moderni diligenter, ac elaboratè relati per Oleam dicta quest. 2. nimum se involvere videntur ut præsertim patet ex toto distinctio nibus deductis per Gaitum, Sfortiam, Old. Trentacinque, Merlin. & alios per Oleam relati. dicta qu. 2. ubi notio ducit ea, quæ circa materiam perplexitatem, ac inextricabilitatem dicit Caphera dec. 67. & aliquid carpit ampullositatem Merlin. d. contror. 32.

In hac verò facti specie, (reflectendo etiam ad solam veritatem) mihi probabiliora videbantur jura cessionarii; Non quidem ex dicto motivo amplitudinis verborum & clausularum, cum apud me, sive ex genio, sive ex proprii intellectus imperfectione, aut quia ita leges oporteat intelligere, & prædicare (super quo alii vident, & judicent), irritione dignus perpetuo visus est iste stylos iudicandi cum sola formalitate verborum & clausularum, quæ plurimum resistunt à formulariis Notariis, cum clara ignorantia efficaciz, seu operationis, tam apud contrahentes, vel disponentes, quam apud ipsosmet Notarios; Sed attendita substantia verisimilibus voluntatis descendens ex circumstantiis facti, quibus verba & clausule solum famulentur, illa attendendo in casu ambiguo pro interpretatione, quoties non sint ita concepta, quod ostendant claram ipsarum Partium intentionem; Admittit eorum, quæ habemus super adeo frequentem insinuatam conclusionem, an potius capitalis, & apocis inferitis, quam instrumento itari debeat.

Cum enim in hac facti specie concurrerent tam præsertim Judicis facti debitoris cessio, ut solveret fructus cessionario, quam effectiva solutio plurium annorum spatio, ac etiam scientia cessionis, ejuisque causæ ex pluribus argumentis, vel adminiculis deducta, ita probabilis videbatur, ut solutio mala fide facta esset, quodque rigor juris, potius in ultima decisione contra cessionarium adhibitus esset, cum metaphysicis interpretationibus explicitorum requisitorum jam concurrentium, atque in id famularetur etiam verborum amplitudo.

De reliquo autem, quatenus pertinet ad materiam in genere (super qua nimum frequenter scribendo ad causæ oportunitatem, quandoque favore cessionarii contra debitorem cessum, & quandoque in casu converso, sive respondendo pro veritate,) Quamvis ex deductis per modernos, ex quorum transcriptione, cuilibet nimum facile est, charitas implere, atque eruditionem ostentare, nimumque facile fit quascumque partes tueri, stantibus etiam tot Rote decisionibus pro casu diversitate inter se diversis; Attamen mihi visum est, istam esse potius questionem facti, quam juris, ex facti qualitate, & circumstantiis prudenti arbitrio

decidendam, manifestumque errorem esse eum generalibus distinctionibus & regulis in omni casu procedere, cum tota vis principaliter consistere videatur in bona, vel mala fide, & an adsit necne aliqua collusio, vel ejus probabilis suspicio supplantandi tertium.

Ubi enim cessio est in solam gratiam cedentis, quod ab aliquibus explicari solet, quando cessionarii nihil interest, an nomen cessum exigatur, necnè; Vel quod interesse sit modicum, quale considerari solet in exatore, vel administratore, seu negotiorum gestore obtinente mercedem exactio nis, sive etiam in cedentis creditore, cui nomina debitorum cessa, seu assignata fuerint pro solvendo, ac jure impliciti mandati per debitorem idoneum, contra quem facti, ac promptus sit regressus; Et tunc parum refert hujusmodi quæstiones assumere, quoniam, sive per veram, sive per fidam solutionem, debitor cessus liberetur, nihil, vel satis parum cessionarii interest, ideoque non videtur subsesse congrua ratio denovo molestandi debitorem jam liberatum.

Aut verò interesse est omnimodum, vel magnum, & considerabile, & tunc, Aut debitor cessus contendit de lucro, cessionarius autem de damno, quia nempe cedens gratitatem debiti remissionem fecerit; Et extra controversiam est, pro cessionario respondendum esse, quamvis in debitore cessio, ignaro, vel non inhibito de tempore obtentæ liberationis, bona fides concurreret, cum tali casu, licet ex parte ipsius debitoris ita liberati, non adsit fraus, quæ dicitur consilii, adesse tamen dicitur fraus, quæ dicitur præjudicii, seu re ipsa.

Aut vero constat de vera, & effectiva solutione, citra fraudem, & collusionem, vel ejus probabilem suspensionem, & tunc nimum circumspicere procedendum est, ut quoties dicta requisita bene non verificentur, non de facili ille, qui verè debitum semel solvit, denovo ex rigorosa legali subtilitate solvere cogi debeat, ubi præsertim ob impotentiam, vel majorem potentiam ejus, qui solutum est, præjudicium habeat de irrevocabili, quoniam in concursu culpæ, major videtur illa cessionarii, cui minus commiserandum est, dum sibi imputare debet cur obtenta cessione, neglexerit formiter inhibere, ac adhibere remedia, & cautelas per legem sibi traditas.

Ubi autem casus sit mixtus, seu ambiguus, qualis videtur ille, in quo certa, & concludens veritas, ac effectiva solutionis probatio non habeatur, neque explicite consistat de remissione gratuita, puta, quia agatur de quietantia per cessionem de recepto; Et tunc procedendum videtur cum iis, quæ habemus in materia confessionis in casibus prohibitis, nempe viri dote recepta, vel Prælati, seu tutoris, aut alterius administratoris, in quibus, vel similibus, simplex confessio non est præjudicialis, bene tamen præjudicat adminiculata, quoties adminicula sunt talia, quod probabiliter veritatem suadeant, atque fraudem, vel collusionem excludant; Et super quo certa, & determinata regula dari non potest, cum totum pendeat à facti qualitate, ut pluries advertitur præsertim sub tit. de Dote disc. generalis 159. & in pluribus disc. particularibus.

Quatenus verò agatur de alio actu mixto continente partim veram solutionem, & partim remissionem, (ut in transactione contingit;) Et tunc procedendum videtur cum distinctione, de qua pluries sub tit. de fideicommiss. præsertim disc. 173. & seq. & sub titulo de feud. disc. 49. ac sub altero de emphit. disc. 52. & alibi, quando scilicet transactio dicatur bona fide inita, adeo ut obster tertio independenter venient ex persona propria, necne; Ideoque bene reflectenti patebit, quod quæstio, ut dictum est, potius facti sit, quam juris pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidendam.

Illud autem extra controversiam, ut etiam in casibus in quibus dicta requisita concurrant, adeo ut cedenti solvi non possit, adhuc tamen idem cedens agere possit, ejuisque actiones directas exercere in gratiam tamen cessionarii, ac ad effectum, ut cessionario solvatur, neque debitor cessus potest eum reculare, ut patet ex deductis per Burat. dec. 135. 8. Quod satis expedit pro exercitio illius actionis, vel judicii executivi non exercibilis per cessionarium, ut contingit in liquidatione instrumenti servata forma ritus M. C. V. de qua infra disc. 116. adeo ut in cessionibus adici soleat pactum obligatorium cedentis, ut teneatur requisitus, agere, & inculcare, seu liquidare instrumentum, ad commodum tamen cessionarii.

ANNOT. AD DISC. LXX.

Ad materiam presentis discursus conferunt deducta lib. 13. de Pen. disc. 68. & 69. occasione agendi de puncto, an cedens commoditate pensionis, possit ex intervallo præjudicare cessationi, illam extinguendo, seu alias delinquendo, adeo ut illa extincta, & resoluta remaneat.

De liberatione autem, qua mediante solutione debitor acquiritur habetur supra ad disc. 55. 68. & 69.

ROMANA TRANSACTIONIS PRO CONFRATERNITATE SS. CRUCIFIXI S. MARCELLI

CUM DOMINICA BARETTA ET CAROLO VIRO.

Causa varie decisus per Rotam.

An, & quando creditor actionem habeat contra debitorem occasionalem, seu causativam ad sui favorem obligatum, quamvis cessaret causa debendi, ob quam fe obligavit; Et de materia obligationis causativæ.

SUMMARIUM.

- 1 Adis series.
2 Resolutione causæ.
3 Non competi actio evictiois absque denuncatione.
4 Limitatur accedente iustitia.
5 Item limitatur favore Ecclesiæ.
6 Obligatio causativæ, seu occasionalis cessat cessante causa, ob quam facta est.
7 Et quod isto casu termini evictiois non intrent nisi improprie.
8 Quando designatio est taxativæ, vel demonstrativæ.
9 Conclusio, de qua num. 6. declaratur, ut non procedat in facto voluntario.
10 An cesset eadem conclusio, ubi accedat delegatio.

DISC. LXXII.

Contra Archiconfraternitatem possidentem tres domos hæreditarias Andrea ex causa, vel titulo, de quo habetur sub tit. de fideicommiss. disc. 108. iudicium instituerunt Dominica, & Hieronymus ex causa dotium, deinde sopitum per concordiam, per quam Confraternitas Rea conventa promisit solvere actoribus ad eorum vitam annua seuta 75. retrahenda ex pensionibus ipsarum domorum, sub eo pacto, ut quomodocumque contingente dictarum domorum evictione, etiam generali, ac impropria in solo possessorio, dicta præstatio cessare deberet, & quatenus sequeretur in parte, eadem cessatio pro rata sequi debeat; Cumque Carolus Argolus unam ex dictis domibus evicisset juxta seriem, de quo dicto disc. 108. de fideicommiss. atque Confraternitas, assistentibus etiam extrajudicialiter ipsis transigentibus, assumpsisset, acriterque litem sustinisset in Rota, ut patet ex deductis dicto disc. 108. ista lite pendente, & postquam obta fuerat secunda decisio revocatoria primæ, atque penderet revisio, transientes in viam dictæ concordie, obtinuerunt disputari dubium, an pro annualitatibus decursis ad eorum favorem relaxandum esset mandatum, pro ea rata dictæ annuæ præstationis, quæ soluta non fuerat ex tempore amisse possessionis dictæ domus, eoque proposito sub die 27. Junii 1670. coram Bevilacqua, coram quo dicta alia causa super ipsa domo pendebat, affirmativa prodiit resolutio.

In disputationibus autem desuper habitis, Scribentes pro actoribus, quibus Rota ut supra adhæsit, fundamentum constituebant in conclusione, de qua in sua materia sub tit. de empt. & vendit. disc. 16. & seqq. & alibi præsertim sub tit. de feud. disc. 44. ut scilicet actio, vel exceptio evictiois emptori contra venditorem non competat, nisi sequuta sit denunciatio litis, ac molestiarum, ne alias fraudibus, & collusionibus inter emptorem; Ac evincens tamen aditus præbeatur, ac etiam, quia venditor dicere potest, quod si iis ei denunciata esset, utpotè melius informatus de ejus juri bus emptori non ita cognoviss, cum tueri potuisset, ac evictionem impedire, atque super hac generalitate circumferret prima decisio.

Scribens vero pro Confraternitate Rea conventa (etiam cum sensu veritato), dicebat obligationem ex dicta concordia resultantem, non esse contra eam exercibilem, ideo-

que resolutio non placuit, etiam ubi controversiæ termini essent superius insinuati evictiois, in qua necessaria est denunciatio; Primò ex dictæ regulæ limitatione, se declaratione passim recepta, de qua in dicta sua materia sub tit. de empt. & vendit. disc. 16. & seqq. ac dicto disc. 44. de feud. & alibi, quod scilicet, ubi constat, quod sequuta etiam denunciatio, adhuc eadem evictio sequatur, quia nempe possessor bene se defendisset deducendo omnia, quæ deducere potuisset ipse interpellatus auctor, qui propterea cum iidem exceptionibus jam deductis non potuisset ipsam evictionem impedire adhuc debetur, Idque in hac facti specie omnino certum videbatur, dum longe majoris potentie erat dicta Confraternitas, administrata per Magnates, ac nobiles, & doctos viros, quam essent actores depreffæ fortunæ, ac humiliss conditionis; Et secundo, quia favore Ecclesiæ statutum, seu receptum videretur, ut data in auctore scientia litis, ac molestiarum intret evictiois actio, vel exceptio dicto denunciationis defectu non obstante ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Cavaler. decis. 311. nu. 6. & 7. Super cuius tamen limitationis, seu privilegii veritate, ac intelligentia maturum iudicium informatum non fuit, cum id potius incidenter, ac ad superabundantiam deduceretur.

Siquidem pro meo iudicio isti termini à casu controversiæ extranei videbantur, dum Confraternitas non emerat has domos ab actoribus, neque evictionem deducebat, actione, vel exceptione ex empto, resultantè à natura contractus, quo casu dicti termini intrant, sed veri, ac proprii termini videbantur illi obligationis causativæ, seu occasionalis, quæ, cessante causa, cessare debet, ex regula, cum cessante, ut apud Dec. conf. 421. Tiraquell. add. regul. cum cessante par. 1. num. 224. Rot. decis. 428. num. 4. part. 1. recentior. cum concordantibus relatis per Amat. resol. 21. in princ. & sub dicto tit. de empt. & vendit. disc. 23. ac etiam sub tit. de Regal. disc. 8. & 9. & alibi.

Nullam etenim actionem antedictam concordiam præstatam actores habebant contra ipsam Confraternitatem, ejusque patrimonium in genere, sed solum eorum præsentio percutiebatur bona, quæ jure fideicommissi, alii que titulis enunciatis dicto disc. 108. de fideicommiss. ipsa possidebat, unde propterea agebatur de obligatione mere occasionali, seu causativa, per quam possessor admittere voluit auctorem eum molestantem ad quamdam communionem, seu participationem fructuum quos ipse percipiebat ex ipsis bonis, & quatenus perciperet, & non alias; Sive quod percipiendo in parte, deducto pro rata fieri deberet, juxta societatis, vel communionis naturam, adeo, ubi etiam ex alio accidenti, cui evictiois terminus non congrueret, dicta fructuum cessatio sequuta fuisset, adhuc idem dicendum venire, attenda substantia voluntatis contrahentium potius quam cortice, vel figura verborum, ut attendi debere tam hoc eod. tit. quam alibi sæpius advertitur, adhibendo dictos terminos evictiois, non strictè ac proprie, pro illa evictione, quæ per venditorem emptori præstanda esset, sed pro cessatione causæ debendi; Et quæ voluntas clarius attendenda videbatur ex qualitate dictæ ecclesiasticæ Confraternitatis, quæ, nec volens potuisset ejus bona propria huic oneri, vel servituti subicere, ideoque dicebatur intrare frequens, ac virgule axioma, ut voluntas à potestate regulanda sit.

Ad quod, ponderabam ea, quæ habentur sub tit. de legatis, ac alibi in materia certæ designationis, quando hæc, demonstrativæ, vel taxativæ stare dicatur, ut postea facti taxationis, cessante re demonstrata, cesset dispositio, vel obligatio, adeo ut piæ causæ favor ex magis communi, ac vera sententia non suffragetur, pietate operativa remanente super interpretatione in casu dubio, ut scilicet magis pro demonstrativa, quam pro taxativa faciendi fit; Secus autem, ubi ex verbis clariis, magis verò ex facti circumstantiis potius attendendis, clare constet de taxativa, quoniam tunc piæ causæ favor non supplet defectum voluntatis, tanquam juris naturæ, ut in dicta sua materia sub tit. de legat. ubi quod ista questio hodie potius esse videatur facti, & applicationis quam juris, an scilicet causa designata, uno, vel altero modo starent.

Inspecto autem iustitiæ, vel injustitiæ evictiois sequentis, vel cessatæ causæ debendi, ac quadam identitate rationis, percussit potius exclusionem voluntariæ, vel culpæ cessationis, quoniam, ut advertitur, locis supra allegatis præsertim d. disc. 23. de empt. & vendit. dicta conclusio causativæ, vel occasionalis obligationis cessantis ex cessante causa debendi, procedit dummodo cessatio non res-

sultet ex ipsius obligati facto voluntario, seu culposo; Prout neque procedit pro effectibus jam, puta, pro fructibus decursis durante tempore possessionis ex deductis per Amat. dicta resol. 21. & passim.

Et quamvis Scribentes pro actoribus, ad evitandam dictam conclusionem obligationis causativæ cessantis ex cessante causa, deducere ea, quæ ex Cuiac. & aliis habentur apud Merl. lib. 1. contr. 91. super obligatione adhuc durante, quamvis cessaret causa debendi ratione delegationis; Nihilominus istud videatur fragile fundamentum ex iidem responsonibus, quæ ad dictam controversiam 19. Merlin. habentur particulariter deducta dicto disc. 23. sub tit. de empt. & vendit. ubi de hac materia; Ideoque quoties cessatio causa debendi, dici non poterat merè voluntaria, & culposa, ut absolute videbatur dici non posse, ob diligentissimas comprobatas ex iis, quæ habentur dicto disc. 108. de fideicommiss. omnino de plano dicta conclusio intrare videbatur, dum de facto ex ista domo non percipiebantur pensiones, quarum intuitu proportionabiliter, & pro rata dicta præstatio promissa fuerat.

ANNOT. AD DISC. LXXII.

De materia obligationis causativæ notatum est ad disc. 23. de Emp. & Ven. ubi habentur loca concordantia

ROMANA PECUNIARIA SEU DE IN REM VERSO

PRO MICHAELE ANGELO VINCENTIO CUM EMILIA CLAUDIA A VALLE.

Causa varie decisus per Rotam.

An, & quando creditor, qui alterius mandatario, vel negotiorum gestori, pecuniam creditit, pro dissolvendo ere alieno mandatans, habeat contra istum actionem mandati, vel negotiorum gestorum, si vè de utili in rem verso.

SUMMARIUM.

- 1 Adis series.
2 Resolutione causæ.
3 De potestate substituendi data procuratori generali remissive.
4 Quando constare dicitur de versione.
5 De actione de in rem verso.
6 Non datur actio sine obligatione, que est actionis mater.
7 Declaratur conclusio, de qua num. 5.
8 Versum dicitur ubi daret, & non altas.
9 De ratione etc.

DISC. LXXII.

Dicebatur ad residentiam Michaelis Angelus creatus Episcopus Hyeracensis, amplum, ac generale mandatum dedit Margaritæ fratris uxori, ad quæcumque negotia paragenda, cum pluribus capitulis, sed periodicis, pro negotiorum diversitate, ac demum, etiam ad lites, in istoque capitulo continebatur factus substituendi, cujus vigore, occasione explicandi quædam acta judicialia, substituit Dominicum negotiorum gestorum vulgo agentem dicti Episcopi, super negotiis Episcopatus, ac solutionibus pensionum super eo reservatorum; Cumque earundem pensionum terminus maturasset, Dominicus tanquam mandatarius; ab Emilia Claudia ad hunc effectum accepit ad cambium quamdam summam per bancum sacri Montis pietatis, ad dies in eadem causam erogatam, paulo tamen postea ab Episcopo reintegratus fuit; Eodem autem Dominico defuncto, Emilia pro dicto credito in sorte, ac fructibus, iudicium instituit contra Episcopum coram A. C. à quo sententia favorabiliter obtinuit, commissæ causæ per appellationem in Rota coram Bevilacqua, & dato dubio, an constaret de dictæ Emilie credito, contra Episcopum, sub diebus 24. Aprilis 1662. & 22. Junii 1663. affirmativè proderunt resolutiones à quibus tamen recessum fuit sub diebus 15. Junii 1664. & 15. Januarii 1669. atque ad istarum posteriorum normam sententia absolutoria prodiit.

Duo autem erant adicris fundamenta; Primò scilicet illud mandati, cujus vigore Dominicus præstatum Episcopum mandantem obligare poterit; Et secundo actionis de in rem verso, dum pecunia in causam dicti Episcopi data, & erogata erat; Neutræ tamen dicebatur, scribens pro Episcopo Reo convento, subsistere, ideoque probabiles vias fuerant posteriores resolutiones.

Quatenus enim pertinet ad primam, resolutio pendebat à puncto dictæ substitutionis factæ per Margaritam, de cuius potestate nulla cadebat questio, dum explicitè in capitulo particulari mandati continebatur facultas, capiendi pecunias mutuas, vel ad censum, vel cambium &c. sed questio erat, an dicta substituendi facultas esset generalis etiam ad negotia, vel solum adites tantum ex iis, quæ particulariter super hoc puncto habentur deducta in hac eadem causa in sua materia sub titulo de tutor. & procurator. ad negor. lib. præced. disc. 19. ubi etiam quid de mandato præsumpto resultantè à dicto munere Agentis.

Quovèro ad alterum, (in quo major, ac penè tota questio fuit,) an scilicet stante probatione versionis, intraret, necnè utilis actio de in rem verso; Ex hac parte per causæ Patronum, cui ego quoque pro stylo adhærebam, insitebantur super defectu probationis ejusdem versionis, stante quod pecunia per adicrem data, deposita fuerat in dicto banco sub nomine proprio Dominici, ac ad ejus liberam dispositionem, unde propterea poterat eam in quocumque sibi placitos usus erogare; Et consequenter pensionum solutio ad aliquos dies sequuta, dici poterat quod facta esset de pecuniis propriis, Dominici non autem Emilie, ideoque intrare possent ea, quæ habentur deducta supra disc. 1. Verùm reflectendo ad veritatem, istud erat fragile fundamentum, dum pecunia ad hunc effectum expressè data erat, ideoque stante brevitate termini, & qualitate præfati Dominici, verisimiliter pecuniam numeratam propriam in tanta summa non habentis, adhuc sufficiens præsumpta probatio versionis adesse videbatur, quamvis pecuniam numeratam penes se retinisset, juxta ea, quæ pluries in præcedentibus habentur in proposito versionis pecuniæ mutæ ad retentionem, vel conservationem, five ad rem emendam, ad terminos textus in l. interdum ff. qui potior. in pig. bub. & l. licet C. eodem ex deductis apud Franch. decis. 97. ibique Adden. Buratt. decis. 361. n. 5. Amat. resol. 3. nu. 59. Multo verò magis, dum verè eadem pecunia deposita in banco, in istam causam erogata erat, ideoque isto motivo nullam substantiam habente, restituebatur questio ad punctum juris, an scilicet, præsupposita versione, competeret dicta actio de in rem verso, stante quod dictus Episcopus vè postea pecuniam transmisserat, ad eundem effectum solvendi pensiones.

In hoc autem, Scribentes pro actrice dicebant illi assistere claram dispositionem textus in l. suppositi §. item §. procurator ff. de negor. gest. & l. ei qui §. aliquin C. quod cum eo, & l. sine, & Titium ff. si cert. petat. ex quibus, & concordantia firmant Bald. in l. ei qui num. fin. C. quod cum eo, & ceteri per Cosam de remed. subid. remed. 12. num. 4. Capyc. Latr. consult. 95. num. 9. Rot. apud Merlin. decis. 533. nu. 25. apud Orthob. decis. 40. nu. 46. & seqq. repetit. post Zaech. de oblig. cameral. decis. 264. apud quos de hujusmodi æquitativa actione de in rem verso, vel utilitate negotiorum gestorum, competente ei, cujus pecunia in alterius negotium, vel utilitatem versa est, quamvis inter eos nulla contractus, sed quasi initus esset, nullaque contracta obligatio, quæ dicitur mater actionis personalis, & sine qua dari non potest actio, dum non datur filius absque matre, quoniam licet de juris rigore non detur actio absque obligatione, attamen de æquitate ista admittitur.

Admittebam ego scribens pro Reo convento, præmissorum veritatem in casu suo; Dicebam tamen (ac demum Rota post duas resolutiones agnovit,) fallaciam claram esse in applicatione ad casum; Et etenim rectè procedunt, quando verificato subsidio, quod est necessarium, (& de quo non dubitabatur ob Dominici decoctionem) copulativè accedat alterum requisitum causæ lucrativæ, quam aliàs fovet ille, cujus debita extincta sunt, vel alia negotia peracta, unde propterea resuleret locuplatio cum aliena jactura, & in qua ratione, unice, ac principaliter ista æquitativa actio fundata est, atque cum isto præsupposito tanquam essentiali apud allegatos, ac omnes proceditur, cum juxta litteralem dispositionem textus in l. si pro Parte §. versum autem ff. de in rem vers. eo in eadem l. §. si Dominus debitor, ad hoc, ut hac actio intret, non sufficit, ut aliena pecunia in alterius negotium, vel utilitatem versa sit, sed quod versum duret, spectato effectu, consistente in eo, quod aliàs iste contenderet de lucro, contra æquitatem prohibentem locupletationem de alieno; Ista verò locupletatione cessante, nulla subest ratio, ob quam contra tertium sine contractu, vel quasi, aliaque obligatione actio competat.

Ita etiam comprobante communi, imo necessario usu, presentium Romane Curiae, quodque alias magna inconvenientia resultare possent, quoniam provisi de Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis, vel Monasteriis, aliisque beneficiis, praesertim residentialibus, pensiones in Urbe solvere obligati, pecunias ad hunc effectum statutis temporibus, juxta commoditatem, vel opportunitatem, ad hunc effectum transmittunt eorum Agentibus, ac negotiorum gestoribus, qui de facili possent eos supplantare, magnoque aere alieno gravare, consummando pecunias in propriis usus, (ut saepe contingit) absque spe recuperationis, cum frequentius hoc munus gerant Curiales, qui cum eo dietim vivunt, si pro solvendis pensionibus accipere possent mutuas pecunias, vere, ac effective in causam erogatas, cum tamen principales jure crediderint illas de propriis pecuniis ad hunc effectum transmissis esse solutas, ideoque sibi imputent credentes hujusmodi Agentibus non habentibus sufficiens mandatum.

ANNOT. AD DISC. LXXII & LXXIII.

Agitur in his duobus discursibus de actione, de in rem verso, sive utriusque actionem, de qua videri poterunt deducta sub tit. de Usur. disc. 5. & tit. de Donat. disc. 43.

Prima autem ex decisionibus enunciatis in discurs. 72. est impress. dec. 438. par. 13. rec.

ROMANA PRETII PANIS PRO JOANNE PETRO BALINO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia, An scilicet creditor unius, actionem habeat contra tertium, ad cuius utilitatem, pecunia, vel bona data versa sunt: Et in specie, an ille, quidem panem, vel alia vidualia, actionem habeat contra eum, qui alimenta accepit, seu dominus domus locata, contra eum qui habitavit &c.

SUMMARIUM.

- 1 **F**ABII series.
- 2 De privilegio pistorum Urbis ejusque commentariis.
- 3 Texera in materia panis habetur loco instrumenti.
- 4 De actione de in rem verso.
- 5 De actione contra debitorem debitoris.
- 6 De fideiussione per viam expromissionis debiti alieni.
- 7 Locator non habet actionem contra subconductorem, qui solvit pensionem conductori.
- 8 De actione contra eum qui gratuito alimenta percepit, vel do. num habitavit.
- 9 De eodem, & quando haec actio introet.
- 10 Actio de in rem verso quid exigit.
- 11 De dicto privilegio pistorum Urbis quid operetur ultra dispositionem juris.
- 12 Argumentum superfluitatis est debile &c.

DISC. LXXIII.

CUM Joannes Petrus pistor convenisset cum Joanne, ut certam panis quantitatem, habita sibi fide de precio, cum texera (juxta sty lum,) ac in ejus causam, daret Francisco; Casus autem dedisset dicti Joannis decoctionem, unde propterea Joannes pro solutione pretii, vellet se dirigere contra Franciscum, qui panem recepit, consilium pro veritate petit, an, & quale jus haberet.

Respondi formando duas inspectiones, Unam in terminis juris communis, Et alteram attento privilegio, quod per Urbanum VIII. pistoribus Urbis concessum fuit, non male commentatum per Antolinum hujus Curiae Advocatum, qui ista occasione plura insinuat ad materiam concursus, ac potioritatis creditorum, praesertim circa rem rusticam, puta, ob pasturam, vel cultidiam animalium, expensas culturae, semen, & similia.

Quatenus pertinet ad primam inspectionem, cum contractus initus esset cum Joanne mediante texera, quae in hac materia, ex communi usu ratione commercii, ac subiecta materiae, faciem instrumenti habere videtur, ut in specie caeteris relatis habetur apud Giurbam observat. 31. num. 13. atque in Urbe est magis planum ex dicto privilegio Urbani VIII. Hinc proinde, cum Franciscus remaneret purus tertius, cum quo nullus contractus initus fuerat, nulla de consequenti competere poterat actio directa personalis, quoniam ut dictum est disc. praecedenti, ista

tangam filia dari non potest absque obligatione, quae est ejus mater; Et consequenter aliud praetendi non possit, nisi aequitativa actio de in rem verso, quatenus, praesupposito tanquam jam probato, ac notorio primo requisito subsidii, ob dicti Joannis decoctionem, verificaretur alterum copulative pro hac actione desideratum, quod scilicet tertius forevet causam lucrativam juxta terminos textus in l. si me, & Titium ff. si certi. pet. cum concordat. discurs. praecedent.

In hoc autem dicebatur, quod aut ille, qui panem recepit, pretium Joanni solverat, sive in causam ejus debiti receperat, adeo non confaret, quod Joannes gratuito illum panem Titio dari mandaverit, (quod praesumi non poterat, dum non agebatur de pane solum accepto pro ipsius Francisci alimentis, in quibus cadere posset praesumptio donationis, sed pro famulis, & colonis in re, seu arte agraria) Et tunc dicebatur, quod non solum intrabat dicta aequitativa actio de in rem verso, sed etiam illa, quam creditor habet contra debitorem debitoris, de qua Surd. conf. 4. Rot. dec. 52. post Merlin. de pignori & dec. 174. post Zachch. de obligatione. cameral. Add. ad Buratt. dec. 79. 3.

Ac etiam dici poterat, quod pro subiecta materia, seu qualitate, ita videretur species fideiussionis per viam expromissionis, quod scilicet, cum Franciscus indigeret pane pro ejus negotio exiliando, pistor autem ejus fidem sequi nollet, hinc Joannes propriam fidem accommodavit, unde propterea, quando non constaret de solutione vera, & efectiva, citra fraudem, & collusionem tempore habili, ad favorem dicti pistoris etiam in sola dispositione juris communis respondendum veniret.

Aut vero de dicta solutione constabat, & tunc secus quoniam ille, qui panem recepit, non a piflore, sed a Joanne, (cujus fidem pistor sequi voluit) panem receperat ejusque debitor effectus erat, ideoque sufficiebat soluisse proprio creditori cum quo contraxerat ad textum in l. solum s. solum ff. de pign. act. cum concordat. apud Rovit. dec. 23. ubi quod subconductori, vel habitatori domus, sufficit solvise pensionem conductori, qui quoad eum, locator, ac auditor erat, non attento, an ipse conductor, domino, seu locatori pensionem solverit, necne, cum, ut dictum est, difficultas in hac materia cadat super competentia dictae actionis de in rem verso adversus eos, qui alimenta gratuita a debitore habuerunt, vel gratuitam habitationem domus conducti, adeo ut ipsi debitori non competeret actio repetitionis, qua cessante non intrant termini actionis competentis contra debitorem debitoris, sed solum illi insinuatii actionis de in rem verso.

Juxta eam questionem, (quam tamen raro vidi ad praxim redactam) an scilicet domino domus locatae, vel ei, qui mutavit in causam alimentorum patri familias, actio competat adversus uxorem, & filios qui domum inhabitant, sive alimenta perceperunt; Quod, ut dictum est nimirum raro ad praxim deducibile est, quoniam ultra dicta duo connaturalia requisita actionis de in rem verso, primo scilicet subsidii, & secundo quod forevat causam lucrativam requiritur alterum scientiae, ac malae fidei, quod scilicet, quia alimenta recepit, non in sola simplicitate, sed recte faciat insufficientiam ejus, qui illa suppeditat, quodque id faciat de alieno, ex iis, quae in hac materia, caeteris relatis, habentur apud Carroc. dec. 128. Surd. de aliment. tit. 8. priv. vil. 48. Antolin. in dict. comment. ad priv. Pistor. n. 432. Panchal. de patr. pot. lib. 1. cap. 6. n. 124. Royas. dec. 215. n. 4.

Cum etenim dictum requisitum versiois, ac utilitatis exigit perseverantiam, ac existentiam de praesenti, quod scilicet verum daret, non de facili id practicable est in uxore, & filiis, ac aliis de familia, qui cum patre familias habitando perceperunt alimenta hodie non extantia, in quibus dici non potest, quod verum daret; Residuum dicere possunt, quod nisi crediderint ea recipere a patre familias absque repetitione, non recipient, sed alio modo cum industria, vel labore sibi pararent, istaque actio adaequabilis non erat ad casum praesentis controversiae.

Quo vero ad alteram inspectionem resultantem a dicto privilegio Urbani VIII. pistoribus concessio, per quod expresso disponitur, ut ei competat actio etiam contra eos, qui de alieno ordine panem receperunt; Adhuc dicebatur, illud cum eadem distinctione intelligendum, sed recipiendum esse quatenus scilicet, juxta casum praesentis controversiae, non ageretur de pane solum praesentis quotidianis alimentis, sed ad negotium, ac industriam ut supra, adeo ut intraret ratio lucris de alieno, cum in dubio ius municipale interpretationem passivam recipiat a jure communi,

ni, juxta receptum, satisque vulgare axioma, quod in materia statutorum, vel privilegiorum habemus; Quamvis enim ali; desuper consulti motivarent, quod alias illud privilegium remaneret superfluum, nulliusque operationis; Dicebatur tamen quod superfluitatis argumentum in iure nimirum leve reputatur, ut advertitur apud Oeth. de fideione 244. & dec. 271. & habetur alibi pluries, praetertim sub tit. de fidei comm. ideoque sufficit ad illam excludendam, quod aliquam talem qualem faceret operationem, qualem non levem facere videtur, concedendo contra tertium actionem directam, & executivam alias de jure non competentem; Et forte probabilius, posito secundo requisito causae lucrativae, etiam absque necessitate formalis justificationis primi requisiti excussionis, & subsidii, cum frequentius, ut dictum est, soleat aliquis in gratiam ejus, qui pane indiget, per speciem fideiussionis vel expromissionis, ejus fidem cum piflore accomodare.

JANUEN. CONSTITUTI PRO JO. FRANCISCO SAULIO CUM LERCARIIS.

Responsum ad causam.

De actione de constituta pecunia, & an, & quando creditor eam habeat contra eum, qui se constituit solvere debitum tertii, quod appareat non debere.

SUMMARIUM.

- 1 **F**ABII series.
- 2 Obligatio se constitutis solvere alienum debitum non verum, vel extinctum, est invalida.
- 3 Falli ubi sciat, sive ubi accedit stipulatio, & de ratione regulae.
- 4 Item fallit accedente juramento, quod supplet defectum casus.
- 5 Inter mercatores ex pacto nudo competit actio, vel iudicis officium.
- 6 Idem attendit aequitate canonica.
- 7 Quomodo se gerere debeant Advocati requisiti ad scribendum extra Curiam.
- 8 Declaratur limitatio prima, de qua num. 3. & donatio non presumitur.
- 9 Quod hodie in foro rara sint ea, quae in iure habentur circa differentiam inter stipulationes, & pacta nuda.
- 10 Non dicitur extinctum debitum per actionem in solutum vel adjudicationem judicalem, si competis jus vendendi, quod dicitur ad exercitium.
- 11 & 12 Quod in ius controversiae non intrant dicti termini constituti, & quales essent proprii termini causae.

DISC. LXXIV.

Possidentibus pro communi domum, Paulo, & Barbara, cum Hieronymus Barbara creditor, ad formam statuti Janu. lib. 4. cap. 2. in Barbara portionem aestimum obtinisset, cum subsequuto etiam effectu, locando, ac pensiones per aliquod tempus percipiendo, Paulo, ut dictam portionem obtineret, se constituit dicti Hieronymi debitorem sub certa dilatione de eo, quod esset debitoris dicta Barbara, reportata contra eam cessione iurium; Cumque dictus Franciscus Hieronymi haeres ad solutionem pulsaret Lercarios Pauli haeres, excipiebant isti de invaliditate obligationis contractae per constitutum de alieno debito, quod supponebat indebitum, vel extinctum ad text. in l. haec enim ff. de constit. pecun. & in l. 2. eodem. utrobique Scribes, de quibus apud Mantie. de tact. lib. 19. tit. 3. n. 1. & seq. Harpreth. in §. de constituta alias in personam Instituta. de action. Franch. dec. 243.

Deluper autem ex parte actoris ad opportunitatem causae vertentis in Civitate Janu. requisitus ad scribendum; Advertebam veritatem regulae, deducebam tamen duplicem ejus limitationem; Primo scilicet, ubi quis scienter alieni debiti se debitorem constituit, cum tunc ita donare videtur; Et secundo ubi accedit stipulatio; Ideo enim regula procedit, quia supponitur constitutum factum esse per pactum nudum, quod de jure civili nullam producit actionem, unde propterea recurrere oportet ad aequitatem praetoriam, quae non datur nisi per causam veram, ex iis, quae ad hanc materiam constituti habentur apud Fabr. Jan. Omor. Picard. Harpreth. & alios in dicto §. de constituta alias in personam Instituta. de action. bene Galind. in rub.

ff. de verbor. oblig. num. 92. cum sequent. Mantie. de tact. dicto lib. 19. tit. 3. num. 18. cum seqq. Ac propterea, ubi accedit stipulatio, cessat ratio praedicta, cum ita competat actio de stricto jure, & consequenter recurrere non oportet ad aequitatem praetoriam, pro qua obtinenda, de veritate, ac existentia debiti, constare debet.

Clarius vero dicebatur haec procedere, flante juramento, quod causae defectum supplet, atque pacto efficacem praebet actionem, absque necessitate recurrendi ad aequitativum Iudicis officium, seu Praetoris subsidium ex deductis per Mancin. de juram. part. 4. eff. 24. Zachch. de oblig. camer. quest. 17. num. 155. Cigali. in dicto §. de constituta nu. 18. bene Gait. de credit. cap. 3. tit. 1. num. 461. cum seqq. apud quos concordantes.

Ac etiam quia, cum summa, pro qua Paulus se constituerat, conversa fuisset in contractum cambii per nundinas, tanquam inter negotiatores, hinc dicebatur, quod ex pacto nudo competeret quoque actio inter negotiatores, inter quos non attenduntur isti juris apices desiderantes stipulationem, ac distinguentes pacta nuda ab aliis contractibus, quoniam inter eos proceditur de bono, & aequo; ideoque ex pacto nudo oritur actio ex deductis per Scacc. de Camb. §. 2. glof. 5. num. 281. Rot. apud Baratt. dec. 497. numer. 5.

Et demum, quod ultra inspectionem, an de jure novo, etiam ex pacto nudo producatur actio, ut disputant supra allegati Instituta, cessat difficultas attenda aequitate, canonica, perquam, etiam, ex pacto nudo actio competit ad notata per Canonistas in cap. 1. de pactis cum concordantibus per Rotam apud Baratt. dec. 476. num. 14. dec. 58. part. 6. rec. num. 17. & seq. in Romana seu Veltivna, aff. 15. Martii 1652. coram Bichio inter suas dec. 500.

Ita deducebam more Advocati scribens ut causa opportunam, ut fatisheret dictae regulae, in qua scribentes pro Reis conventis fundamentum constituiebant; In alia vero scriptura separata, eidem requirenti pro stylo una cum responso transmissa, continente meum iudicium, seu observationes pro veritate, ut ita causa directores in partibus, moniti de difficultatibus, eis occurrere possent, sive ad concordiam faciles se redderent; Advertebam, quod in prima limitatione deducta ex textu in l. si quis argentum §. si. Cod. de donat. quando scilicet quis scienter pro alieno debito se constituit, quia sciat esse indebitum, nullum constituit possibile fundamentum; quoniam cum ista limitatio fundata sit in ratione implicitae donationis, nimirum difficile, atque in foro rarum est, ita inter extraneos, inter quos nulla actionis, vel sanguinis, aut antidotalis obligationis ratio uregat, inducere donationem, quae in dubio non praesumitur, & pro qua excludenda quilibet possibilis intellectus capiendus est ex deductis apud Cavaler. dec. 503. Rot. dec. 41. num. 2. & seqq. par. 9. rec. & frequenter in sua materia sub tit. de donat. & alibi; Ideoque ista limitatio remanere videtur pabulum scholasticorum, & Academicorum, cum pro currenti usu, non de facili praxis doceat hujusmodi donationes, potissime ex facti circumstantiis clare, ac evidenter donationem excludentibus; Tam quia nulla tuberat causa donandi; Tam etiam constabat, quod cum Paulus esset alterius portionis domus possessor, ita potius ad industriam, ac negotiationem, se debitorem constituerat, ut jura contra Barbaram acquireret, ejusque portionem obtineret, non autem ut, vel creditor, vel debitori, pro quo se obligavit, aliquem morem gereret.

Prout advertebam evagatoria potius esse alia, de quibus supra ad responsi ornatum deducta, atque ut fatisheret Scribentibus in contrarium, ita scholastico more cum hujusmodi questionibus materiam tractantibus; Hodie si quidem a foro, ob dictas limitationes in suis casibus veras exulasse videntur subtilitates juris civilis circa distinctionem inter pacta nuda, & stipulationes, sed praecipua attenditur substantia veritatis, an scilicet debitum alienum, pro quo quis se constituit, vere subsistat, necne, quoniam eo non subsistente, conruit obligatio ex capite erroris, seu falli praesuppositi; Unde propterea cum iste sit defectus naturalis, utpote proveniens a defectu consensuum, istum non supplet, neque juramentum, neque canonica aequitas, vel mercatorum stylos, cum haec omnia percitant solum remotionem subtilitatum juris civilis, non autem ea, quae sunt juris naturae, ipsamque veritatem percipiunt, cum juramentum, vel canonica aequitas famulentur veritati, eamque conservant, non autem coadiuvant mendacium, vel errorem, seu fraudem, ex iis, quae

quæ in proposito dotis confessata habentur sub tit. de dote disc. 159. & alibi.

Ideoque causa restringebatur ad punctum, an creditum Hieronymi contra Barbaram subliteret, necne, & qualia essent fundamenta, ex quibus illud impugnabatur, cumque desuper distincta notitia non haberetur, hinc proinde ex frequentier contingit, in causis extra Curiam maturam iudicium pro veritate desuper efformare non potui.

Quatenus verò debitum Barbaræ, verè, ac naturaliter debitum esset, solaque ejus insufficientia de tempore constituti proveniret ex quadam juris subtilitate, quod scilicet per æstimum in vim Statuti a creditore obtentum, tanquam per speciem judicialis dationis in solutum, vel adjudicationis, illud extinctum esset, ideoque de tempore constituti, Barbaræ dici non posset debitor; Credebam istud esse nimium fragile motivum conciens quamdam metaphysicam legalem, scholis non autem foro congruam, quoniam; Aut Paulus, qui se constituit hoc debitum solvitur, vere, gerere voluit negotium dictæ Barbaræ debitoris, quæ æstimum passâ fuerat; Aut voluit gerere negotium proprium, ad propriam utilitatem, Primo casu, stante jure redimendi, quod debitoris æstimum patienti ad ejusdem Statuti normam competit, ita implicite, seu ad exercitium reduci dicitur dictum jus redimendi, per quod dicta judiciali in solutum datione resoluta, atque causa redacta ad non causam, tanquam per speciem postliminii, antiquum creditum suam affumit naturam.

In altero autem causa, in quo constituens proprium negotium potius gerere voluerit, extraneos, five incongruos esse dicendam dictos terminos constituti, quoniam tunc in effectu non est se constituisse pro alieno debito, sed emere jura creditoris contra debitorem, ideoque summa, ad quam constitutus se obligat, dicitur potius pretium nominis, vel juris empti; Istique videbantur veri, & proprii hujus causæ termini.

Atque ex hoc inferebam, quod ubi etiam dictum creditum esset debitum, quoties summa, pro qua tertius se constituit debitorem, proportionata esset pretio emptoris incertæ alicuius, juxta ea, quæ notantur ad materiam textus in l. 2. & tot. tit. ff. de C. de hered. vel ad. vend. five ad materiam textus in l. per diversus, & l. ab Anastasio C. mandat. atque ubi verè jus cessum, nullam facti, nec juris substantiam haberet, tunc pro invaliditate actus intrarent termini falsi præsuppositi, five alii invaliditatis hujus impli-cite venditionis, ve defectu rei, in qua consistit unum ex essentialibus hujus contractus requisitis juxta ea, quæ habentur supra disc. 64. ad materiam exigibilitatis juris, vel nominis cessi, quam cedens cessionario prætare tenetur, cum similibus; Incertum vero est quid in causa sequatur sit; Illud tamen certum videbatur, quod dicti termini constituti, seu de constituti pecunia improprii essent, atque à casu controversiæ extranei, & tamen super eis principaliter, ac præcisè certatum fuit; Talis est quotidianus hujus facultatis abusus capiendi quid pro quo.

ANNOT. AD DISC. LXXIV.

De constituta pecunia, nulla alia suppetit occasio disputandi; Quo verò ad punctum de quo num. 2. super invaliditate obligationis solvendi debitum alienum, quod delegat indebitum, vel extinctum, conferunt deducta sub tit. de Empt. & Vend. disc. 40.

ROMANA SOCIETATIS PRO CREDITORIBUS CUM AURELIA SERENA.

Causa disputata in Rota, incertus est exitus.

An, & quando creditoris alicujus negotii, seu rationis campforiæ, actionem habeant contra eum, qui proprium nomen negotio accommodavit, seu passus est illud adhiberi; Et quando socius, etiam post dissolutionem societatis obligatus remaneat ad debita per sociale negotium contracta.

SUMMARIUM.

- 1 Adh. series.
2 De potestate viri in bonis extradotalibus mulieris.
3 In præjudicialibus requiritur scientia certa.
4 Mulier non potest contrahere societatem in Urbe sine solemnitate statuti.

Minores, & mulieres in negotiis mercantibus contrahunt sine dictis solemnitatibus.

De ratione hujus conclusionis.

An, & quando accommodans ejus nomen alteri, vel patiens, ut ille utatur, teneatur erga eos, qui nominis fidem sequuntur.

De applicatione ad casum.

Unus ex sociis non potest se eximere à negotio sociali in præjudicium sequentium fidem negotii, nisi cum denunciatis &c.

Unus ex sociis obligat alios in solidum.

De ratione conclusionis, de qua num. 9.

De eadem conclusione, de qua num. 5.

DISC. LXXV.

Amphoriam artem, seu negotium in Urbe exercente Anibela Serena, coesundio, hæredè scripta Aurelia filia, per istam deputatus fuit Augullinus Lucus ejus vir infitor, ac administrator dicti negotii sub eodem nomine Anibalis continuantis; Ad aliud vero tempus, aperto novo negotio sociali, inter dictos Augullinum, & Petrum Ferretum, eadem Aurelia tacitum consensum præstitit, seu permisit, ut idem Au.ullinus, nomen Serenæ patris cum proprio adhibere posset, ideoque juxta stylum, scriptæ fuerunt dicti primi negotii amicus, & correspondens, litteræ oratoriæ, ac certioratorie istius novi negotii cantare debentibus sub nominibus Serenæ, & Luci; Camque postmodum Augullinus defecisset, hinc proinde creditores, cum ista nova ratione contrahentes, iudicium introductæ causa in Rota coram Bevilacqua, & eaque proposta, dilata resolutione, incertum est, an ulteriore progressum habuerit, cum de illa amplius actum non audieram, vel quia concordata sit, vel quia eam substantientes postliminum Executoris testamentarii cuiusdam pii operis in Ragulina Civitate, neglexerint prosecutionem, Aut quod muta veritè defensores, ut sæpè contingit ob mutationem causæ Patroni.

In disputationibus desuper habitis, præfata Aureliæ Reæ convenit defensores verfabatur circa generalitates cuiusque indifferenti materiae convenientes, quod scilicet prima societas, seu primum negotium jam dissolutum fuisset, quodque dictum novum negotium, cum quo debita contracta erant, dictum nomen Serenæ adhibuisset, attamen id æstimum non erat per ipsam Ream contentam personam dicti Serenæ representantem, dum nullus actus positivus ex ejus parte accesserit, sed Augullinus vir in capitulationibus initis super novo negotio cum Petro, asseruit hanc facultatem sibi ab uxore concessam esse; Vir autem non poterat eam obligare, dum agebatur de bonis, vel juribus extradotalibus, de quibus vir disponendi facultatem non habet, potissime obventis constante matrimonio, quæ propterea (juxta unam opinionem) contradistinguntur à paraphernalibus, quorum major administratio penes virum est, ex his, quæ ad hanc materiam bonorum extradotalium habentur sub tit. de Dote disc. 168.

Neque dicebant obitare debere præfata mulieris scientiam, ac patientiam ex aliquibus adminiculis, & argumentis, ut infra deductam, ob receptam, ac frequentem propositionem, de qua ceteris relatis Gregor. decis. 42. s. num. 5. & 6. Buratt. decis. 89. num. 2. & passim, quod in gravior præjudicialibus, non sufficit scientia præsumpta, vel conjecturalis, sed debet esse expressa, & concludenter probata per actus univocos, ac bene concludentes, non autem vagos, & æquivocos.

Fortius verò dum agebatur de muliere, quæ in Urbe ex statuto 151. inhabilitata est ad faciendum quoscumque contractus, vel alios actus præjudiciales, ex quibus lædi potest, abique solemnitatibus ab eo præscriptis, de quibus pluries in sua materia sub tit. de alienat. & contradi. Et in specie societatis, quod nec explicitè, nec implicite contra-hi possit per mulierem non servata dicti statuti forma Buratt. dec. 467. ubi receditur à distinctione firmata in præcedenti dec. 480. inter societatem tacitam, & expressam; Et habetur dicto tit. de alien. disc. 34.

His tamen non obstantibus, probabilis creditorum favore respondendum esse dicebam, scribens pro eis; Illud in primis advertendo, ut clarum æquivocum esset, in ista negotiaria, seu mercantili materia, procedere cum præfatis terminis generalibus, quos in materiis indifferentibus habemus, quoniam etiam in minoribus, qui de jure communi quoque inhabilitati sunt, ac etiam in ma-

materiis privilegiatis, ut est dos, cessante causa necessitatis, ipsoque jure statuario majorem patientibus inhabilitatem ex eodem Statuto 151. & ex altero 113. solemnitates requiruntur; Multo igitur minus in mulieribus majoribus, quæ juris communis dispositione atenta, excepto Vellejano, in reliquis non differunt à viris, nullamque patiuntur inhabilitatem ex plene firmatis per Rot. decis. 284. par. 9. rec. repetit. post Zacch. de oblig. camb. disc. 192. & habetur particulariter actum sub tit. de alienat. & contradi. disc. 34.

Ex ea potissimum evidenti ratione, quod exteri negotiatores, negotiis fidem sequentes, incerti sunt, an ille, sub cuius nomine cantat, sit major, vel minor, cum sæpius, etiam sub nomine personæ jam defunctæ, rationes continuari, seu exerceri soleant; Unde esset alias mundum involvere, nimiumque latum aditum fraudibus, & conventionibus aperire, contra publicam utilitatem ex commercii libertate resulantem, & quæ utilitati privatæ semper anteposenda est; Ac etiam quia non intrat ratio particularis circumventionis, vel doli præsumpti, quæ intrat in privatis contractibus, cum ista cadere solum possit in uno socio, quia alterum ad id inducat, non autem in negotiantium, & correspondalium universitate.

Neglecto igitur hoc fundamento, atque ex facti circumstantiis pro certa præsupposita inexcusable scientia mulieris super dicti nominis ulu; Restringeretur causa ad punctum, seu questionem, an ille, qui scit, ac paritur, ut ejus nomine negotium exerceatur, ita consentire videatur, ut sibi præjudicet, atque creditoribus, & correspondalibus obligatus remaneat.

In hoc autem puncto, quidquid ex dispositione textus in l. 1. §. magistrum ff. de executor. ad. & in l. fin. ff. quod cum eo, dissentiant, seu varient Bartolus, alique nostri majores; Probabilis, magisque recepta videtur distinctio, quam adhibet Caffren. conf. 242. circa princ. lib. 1. & plenius reasserta Rota Januæ. decis. 14. nu. 82. cum qua procedit Rota in adeo discussa Romana societatis de Roignis 19. Junii 1645. 2. Martii 1646. & 10. Februarii 1648. coram Ghislerio, & 31. Januarii 1661. coram Boulemon, quarum decisionum prima est impressa apud Merlin. resolut. 207. lib. 2. & 3. dec. 30. post Salsad. in labry. eamque reassertum Rocc. de societ. notab. 49. num. 162. quod scilicet, si negotiatio à me cepta fuit, five agitur de his, quæ per me fieri consueverunt, & tunc teneor, quoniam ista resoluta videtur quedam propositio, seu infitoria species, quod scilicet super negotio, quod jam ego sibi meo nomine exercebam, proposituram illum, qui meum nomen adhibet, & continuat; Secus autem è converso.

Applicando autem ad rem, postquam obiit Annibela Serena, sub cuius nomine, ac probata fide, negotium stabiliter positum fuerat, ipsa Aurelia expresse virum præposuit, ut illud continuaret, ut de facto sequutum fuit, ideoque mercatoris, & correspondens, divinare non poterat hujusmodi innovationes, ac personarum distinctiones, & qualitates, & consequenter verfabatur in prima parte distinctionis.

Hinc propterea, bene firmatur in allegatis decisionibus editis in Romana societatis de Roignis, quod si initio negotio sociali inter plures, quorum unus concordaret à negotio exeat, atque concordaret pro confocios liberetur, adhuc tamen obligatus remanet, nisi per publica edicta, & litteras certificatorias, id ad notitiam negotiantium, & correspondalium bene deducatur; Alias enim esset publicam fidem fallere, cum correspondens notitiam habentes idoneitatis, & qualitates aliorum sociorum, sequantur principaliter fidem nominis probatæ apud, quamvis aliorum nomen adjuvaret, ut advertitur apud Rocc. de societ. notab. 79. nu. 163. Et ex quo prodiit recepta conclusio super obligatione cuiuslibet ex sociis in solidum ex deductis apud Cell. decis. 6. & in dictis decisionibus in Romana societatis de Roignis, ac frequenter, cum sit principium receptum; Et conferunt, quæ habentur sub tit. de Regal. ad materiam officiorum, & locorum montium.

Sæpius enim contingit, quod probati nominis negotiantiorum aperit vir ejus, ac illorum nomine, novamque rationem autem continuationem opinantis, antiquam probati nominis fidem sequuntur, quæ ita elusa remanere posset contra omnem commerciatum, ac rationem publicæ fidei, publicicæ commerciatum, ac rationem publicæ fidei, sociis; Ideoque sibi impunit ille, qui negotium prius sub ejus nomine exercebat, cur per litteras certificatorias, ac

per edicta juxta regionum stylos, ac mores, sibi non præcaverit; Atque licet in mulieribus, vel aliis imbecillis iudicii, qui circumventionibus, ac fraudibus pluri subjecti dari possint inconvenientia, Attamen favor publicus præponendus est huic privato juxta conclusionem infirmatam supra, ut in negotiis mercantibus non requiratur solemnitates, quæ alias in minorum, vel mulierum contractibus requiritæ sunt.

ANNOT. AD DISC. LXXV.

Quod ea quæ materiam socialem concernunt, videri poterunt deducta infra disc. 87. & seq. & in cod. tit. disc. 160. & 161. de Regalib. dec. 2. & 9. tit. de Camb. disc. 13. & 29.

ROMANA PECUNIARIA SEU ADMINISTRATIONIS PRO LAURENTIO DOMITIO CUM GREGORIO SATO.

Causa variè decisus per Rotam.

An efficiatur quis debitor alterius nomine proprio, ob pecunias ei simpliciter traditas, causa non expressa; Vel potius pecuniarum traditio referenda sit ad nomen administratorum, adeo ut debitum, vel creditum pendeat à redditione rationum negotii administrati.

SUMMARIUM.

- 1 Adh. series.
2 Administratore non dicitur debitor, vel creditor ante redditas rationes.
3 Resolutiones cause.
4 Pecunia alicui tradita in dubio referenda est ad mutuum.
5 Fallit ubi patet de causa diversæ.
6 Quod illa sit punctus potius facti, quam juris.
7 Quomodo decidi debeat.
8 De errore defensoris doctrinæ indefinitæ.
9 Donatio non præsumitur, & pro ejus exclusione est regula.
10 Pecunia data per socium solum, an proprio, vel sociali nomine referatur.
11 De duplicatione personarum.
12 Inter socios, vel administratores dari, & recipi solent pecunie.
13 De consuetudinibus, & adminiculis probantibus titulum administrationis &c.

DISC. LXXVI.

CUM Hippolytus Daccius mercator, filios pupillos reliquisset sub tutela Gregorii, confirmavit iste in tabernæ, seu fundaci institorem, & administratorem Laurentium, cujus opera idem Hippolytus utebatur, ipso tutore reliquum astem administrante; Cumque inter dictos Gregorium, & Laurentium, utraque administratione durante, plures pecuniarum summae cum solitis notulis, seu parvis pagellis, datæ, ac respective receptæ essent; Hinc finita tutela, Gregorius Laurentium pulsavit A. C. ad solutionem scutorum 1000. circiter, in quibus ex dictis pagellis debitor apparebat, dicto Gregorio, (cui pupilli facti majores ad hærebant), excipiente de conversione dictæ pecuniæ in causam administrationis, quodque propterea debitum, vel respectivè creditum pendere à redditione rationis per utrumque faciendæ, ex recepta propositione, quod administrator dici non potest debitor, vel creditor, nisi redditus rationibus juxta vulgare conf. 273. Anchar. passim receptum, & in sua materia sub tit. de tutor. & administrat. Hinc Iudex mandavit ut Laurentius reddere deberet rationes; Interpositaque per Actorem appellatione in Rota coram Vicecomiti, ipso Actore solum informante sub die 27. Martii 1662. ad ejus favorem prodiit resolutio, ut scilicet constaret de credito ex causa mutui, ad quod pecuniæ referenda essent; Reproposita vero causa sub die 30. Januarii 1665. coram Taya subrogato, recedendo à decisis, dictum fuit esse referendas esse ad causam dictæ administrationis, atque in hac posteriori peritum fuit sub die 31. Jan. 1666. coram eod. neque, quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit.

Fundamentum primæ resolutionis pro Actore solum in regula desumpta ex textu in l. si quis ff. de cert. petat. cum ibi communiter notatis, cum concordantibus deductis per Rot. apud Merlin. decis. 692. recept. decis. 69. par. 7. rec. & decis. 315. par. 11. rec. cum aliis in decisione, quod scilicet pecunia sim-

simpliciter alteri data, non expressa causa, mutuo referenda venit.

Non negabam ego scribens pro Laurentio Reo convento regulam praedictam; Dicebam tamen eam communitari limitari, ubi, nedom per expressam probationem, sed etiam per praesumptiones, & adminicula constet de diversis causis, ut plene firmatur in dist. dec. 692. Merlin. & alia dec. 315. par. 11. rec. cuius casus infirmatur sub tit. de Regal. dec. 1. cum aliis de quibus infra, unde propterea huiusmodi quaestiones (ut pro majori parte videntur hodie omnes forenses controversiae,) sunt potius facti, quam iuris, totaque inspectio est in applicatione, an scilicet veriorum in casu regulari, vel potius in altero limitationis.

Ad limitationem autem desumendam, quoties deficiente probatione expressa, ad praesumptam seu conjecturalem recurrere oportet. Advertendum, quod certa, & determinata regula dari non potest, cum iuxta generalem conjecturalem naturam, totum pendat ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ex quibus (uti in omni fere materia ad veritatem) frequenter praxis docet, ut in uno casu aliqua licet modice, ac leves praesumptiones, & conjecturae sufficiunt, in altero autem eadem, longaeque majores insufficientes reputantur, unde propterea semper inculcandum venit adeo frequens error modernorum, regulas, seu doctrinas in uno casu firmatas eademque alteri indefinite applicandi, non reflectendo ad diversas circumstantias, in quibus praecipue iudicis, vel Consulentis ad veritatem, partes esse debent.

Ad huiusmodi autem praesumptivam, seu adminiculativam probationem regulandam, reflectendum est potissimum ad naturam, seu qualitatem causae, ad quam pecuniarum traditio in exclusionem mutui referri praetenditur. Ubi etenim allegatur causa donationis, iuxta casus, de quibus dicta dec. 692. Merlin. & dec. 315. par. 11. rec. & dist. de Regal. dec. 1. tunc, resistente regula exclusiva donationis, de qua in proximè allegatis decisionibus, & dec. 41. in princ. par. 9. rec. ac frequenter, longè majores, ac efficaciores conjecturae, & praesumptiones desiderandae veniunt iuxta singulorum casuum circumstantias, potissimum verò circa verisimile, vel inverisimile, ex ibi deductis.

Secus autem ubi causa, vel titulus donationis non allegatur, sed alter onerosus, & respectivus, qui mutuo aequipollet, neque pecuniae receptor de lucro, ac locupletatione contendat, sed solum de relatione ad unam, vel alteram debendi speciem iuxta quaestiones, de qua supra in ysterbien. dist. 62. deductam ex traditione Bar. Bald. & aliorum in l. fin. §. fin. autem miles. Cod. ad Macedonian. an scilicet pecunia per unum socium alteri tradita, in causam socialem, atque de ipsius socialis negotii effectibus referenda sit, vel potius nominibus propriis respectivè, cum tunc minor adminicula sufficere videantur, eo quia iuris regula, seu praesumptio non resistit, ut est in casu donationis, sed potius assidit, ex deductis, ceteris relatis apud Buratt. dec. 85. & post Zaech. de oblig. camer. dec. 193. alias apud Cellum dec. 6. dec. 32. n. 8. cum seqq. par. 5. recen. & in aliis; Quamvis enim non implicite, itante possibili pluralitate, seu diversitate personarum formalium, seu intellectuum in una materiali, ut ad mutuum, vel aliam causam privatam id referri valeat ex deductis d. dist. 62. quoties facti circumstantiae ita suadeant, de facili tamen dictus alter titulus socialis praesumitur.

Applicando autem ad rem, quamvis inter praefatos Actorem, & Reum non adesset societas negotii, aderat tamen societas administrationis cum subordinatione inter eos, dum unus erat administrator major, seu generalis tanquam tutor, alter verò inferior, seu particularis tanquam institutor mercimonii, atque dabantur mercatorum, ac negotiantium attestaciones super hoc stylo, quod inter negotiorum praepositos, seu administratores majores, seu generales, ac minores, vel subordinatos, currere solent pecuniae, hinc inde cum parvis notulis, seu pagellis, iuxta cuiuslibet respectivè administrationis opportunitatem.

Ultrà vero hanc generalem magisque vagam praesumptionem, quae fortè sola, & de per se non omnino sufficiens esset; Plures accedebant praesumptiones, & circumstantiae particulares, illa praesertim quod ex parte dicti Laurentii dicebatur quod huiusmodi pecuniae à tutore pro majori parte datae fuerant occasione implendi tractas, seu litteras cambii in causam tabernae, seu negotii; Ac etiam accedebat magna inverisimilitudo, quod resultabat à qualitate personae dicti Laurentii, cui verisimile non est, ob ejus paupertatem, dum ex illo ministerio cum mensuro

salario videbatur, ut adesset absque scripturis, & cautelis, in causam propriam summam adeo notabiles mutare voluerit.

Atque ex ista circumstantia resultabat altera, quod ejusdem Actoris magis intererat dictas pecunias datas esse in causam administrationis, ut ita haberet debiores pupillos factos majores, qui erant divites, ac idonei, magis quam praesatum Laurentium non idoneum, cum aliis circumstantiis facti, idque potius (ut dictum est) quam juris erat quaestio, ideoque probabiles, beneque fundatae vix sunt posteriores resolutiones.

ANNOT. AD DISC. LXXXVI.

Solum prima ex decisionibus in praesenti discursu enunciatis est impressa dec. 437. par. 12. rec. Et de conclusione excludente in dubio donationem, quoties actus ad aliam causam sit referendus, habetur pluries in sua sede sub tit. de Donat. praesertim dist. 16. 48. & 59. Et vide infra dist. 125. cod. tit. de Cred.

ROMANA SIMULATIONIS MUTUI PRO FRANCISCO MARIA BARTOLINO CUM ABBAE BROCCIO.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Francisco Maria, postea concordatus.

De debito, vel credito simulato circa causam, quod tamen in substantia licet ex causa diversa, sit verum, quod nempe debitum ex una causa, asseratur in illam mutui; Et quid ubi accedat etiam simulatio personae, an sit experibile, necne: Et quando causa, vel personae simulatio, obstat, vel non obstat.

SUMMARIUM.

1. Adhuc servari.
2. Testis mediator unicus, junctis adminiculis probat.
3. Confessio extrajudicialis partis absente probat de canonica equitate.
4. Verisimile, vel inverisimile satis attenditur in materia simulationis.
5. De argumentis probantibus simulationem.
6. Quando adesset causa simulandi imperfecta probationes sufficiunt.
7. Simulatio personae in iure non est damnata, quando debitum est verum.
8. Idem de simulatione causae, vel contractus, data eadem veritate.
9. Ut non dicatur simulatio, sed novatio, vel transmissio.
10. Secus ubi cessat dicta veritas, seu alius juri debitoris efficitur deterior.
11. Quando per simulationem persona sua deterior conditio debitoris etc.
12. Quod in probatione simulationis non datur regula certa.

DISC. LXXXVI.

Post diuturnam dispendiosam litem agitam inter Livium, & Franciscum Mariam, de eadem familia Bartolina, super Archidiaconatu Cathedralis Burgi Sancti Sepulchri de Jurepatronatus laicali, devenit ad concordiam, per quam Livius liti cessit; E converso autem Franciscus Maria, cui beneficium remanebat, pro refectione expensarum liti, ac fructuum ea pendente decursum, solve permissit Livio quamdam notabilem summam, cum reservatione Apostolice beneplaciti per Livium impetrandi, ut de facto supplicatio desuper signata fuit in forma commissaria directum Ordinario loci sub conditione verificationis, quod expensae, ac fructus dictam summam importarent, ut ita, non ratione dimissionis beneficii, sed ratione dicti crediti temporalis, pecuniarum solutio sequebatur; Quia verò pro verificatione dictae conditionis, incommodum pati oportebat, atque aliquam impensam facere, hinc ad id evitandum, Livius de consilio eorumdem peritorum caudicorum, qui utriusque defensores in lite fuerant, curavit ut Franciscus Maria, per apocam, sub nomine mutui, ac sub asserzione pecuniae numeratae, cum certa dilatione se continueret debitorem Abbatis Broccii de dicta summa eidem numerato soluta cum quietantia in forma; Cumque post plurimum sanctorum silentium, ac dissimulationem, Broccius iudicium instituerit, seu verius nomen accommodavit Livio verè pulsantem

Frag.

Franciscum Mariam pro dicta summa solutione coram A.C. post plures disputationes, prodiit sententia Rei conventi absolutoria, quae (me quoque consulente) aniam dedit honestae concordiae, qua mediante causa finem accepit.

In his autem disputationibus, duae erant inspectiones, una facti, seu probationis, an scilicet per Reum conventum probaretur allegata simulatio personae, & causa, quod quae revera Broccius nudum nomen desuper haberet, conventio autem sub simulato mutui nomine cederet ad commodum Livii in dictam aliam causam; Et secundò quatenus id sufficienter justificatum esset, quid relevaret, qualiter effectus exinde resultaret.

Prima inspectio erat facti potius, quam juris, ideoque pro stylo, nulla, vel modice erant Advocatorum partes, quae erant causae Patronorum; Nimis autem convincentes probationes adesse videbantur resultantes; Primò ex attestacione mediatoris, cui de facto proprio deponenti, nullumque proprium interesse habenti, quamvis unico, aliis quibus concurrentibus adminiculis, ubi praesertim sit persona qualificata, & integra (ut in praesenti) plena fides adhibetur, ex iis, quae ceteris relatis habentur apud Merlin. dec. 714. & 835. & sub tit. de Dote dist. 27. ac alibi pluries.

Secundò ob penè probatas plures extrajudiciales confessiones, tamen Broccii, quam Livii, quas receptum est de canonica equitate probare, quamvis absente parte emissas, ex iis, quae habentur infra dist. 69.

Teretiò plura accedebant adminicula, illud praesertim inverisimilitudinis, quod in hac simulationis materia nimium, ac principaliter attenditur ad vulgari axiomate, quod quemadmodum inverisimilitudo imaginem habet veritatis, ita è conversò inverisimilitudo imaginem habet falsitatis, ut ceteris relatis apud Merlin. dicta dec. 835. num. 4. dec. 283. n. 12. par. 5. recen. dec. 207. num. 12. post Zaech. de oblig. camer. & seqq.

Cum etenim inter dictum Broccium, & Franciscum Mariam, nulla adesset fanguinis, vel familiaritatis conjunctio, dictaque Franciscus Maria esset exterus, atque diversè Principatus, in quo mandata executiva relaxata in Curia ab A.C. vel alio Tribunali, iuxta fere omnium principatum frequentiore contentigentiam, aliquam in executione difficultatem pati solent, hinc nimium inverisimile erat, ut absque idonea cautione, vel alia cautela, gratuitum mutuum pecuniae numeratae, in summa notabili factum esset, cum plurimum annorum dissimulatione, absque aliquo ejus fructum in persona provida, & diligenti solita investire ejus pecunias infrustratas licitas, & honestas occasiones, Et è conversò justificabatur nimia familiaritas, ac fiducia cum Livio, ex quibus, ac aliis circumstantiis, nimium clara probatio adesse videbatur.

Et nihilominus, ubi accedat causa simulandi, receptum est, ut adminiculativa, ac imperfecta probatio sufficiat, cum adluentibus probationis necessitas exigatur, quando causa simulandi declinat, ut ita distinctio hodie frequens, & recepta, quae testibus non indiget.

Et quamvis Scribentes pro Alore, nimium insisterent in eo, quod non adesset dicta causa simulandi, dum verè supplicatio signata erat, atque continebat clausulam, ut sola signatura sufficeret; Attamen id verè nullam habeat substantiam, cum gratia non esset pura, sed conditionalis, ac in forma commissaria, sub dicta scilicet conditione verificandi coram Ordinario, quod expensae, ac fructus summam conveniam excederent, vel saltem adaequarent, cuius justificationis necessitas, sumptus, & incommoda causabant, ideoque causa simulandi remanebat indubitata.

Quovero ad alteram inspectionem juris, quid scilicet relevaret hanc simulatio, tam personae, quam causae; Scribentes pro Actore dicebant, quod istae veritate debiti, neutra obstat debet; Quatenus enim pertinet ad simulationem personae, deducebant conclusionem plenè firmatam apud Merlin. dist. 835. dicta dec. 207. post Zaech. de oblig. camer. cum aliis, de quibus sub tit. de cambiis dist. 16. & 18. ac alibi pluries, quod scilicet simulatio personae non fit in iure damnata, cum nihil debitoris interfit, si verè debitor est, adeo non agatur de simulatione debiti ex causa indubitata, an ejus obligatio sui unius, vel alterius nomine cantet, & contracta sit, quoniam simulatio in iure damnata dicitur illa, per quam cum mendacio praedicti fingitur verum id, quod, vel non est verum, vel non legitimum, in quibus terminis procedunt jura, de quibus

Card. de Luca Lib. VIII.

tot. tit. Plus valere, quod agitur, quam quod simulatè concipitur.

Idemque ex eadem ratione procedere dicebant circa alteram simulationem causae, quoniam ubi debitum est verum, nil refert, si ex aliquo motivo creditori proficuo, debitori autem in substantia non praedjudiciali, alia causa simulatur etiam absque formali novatione, quam creditoris interfit non adesse, ob reservationem priorum jurium, ac effectuum ex illis resultantium juxta illam simulatam causam mutationem, quae practiciari solet in Regno Neapolitano circa credita dotalia, quod ad effectum liberè practican di liquidationem instrumenti juxta formam ritus M. C. V. de qua infra dist. 116. ad evitandum necessitatem extrinsecae probationis matrimonii, quae necessaria est in debito dotali tanquam conditionali, fieri solet per virum quietantia dotis promissori, qui è conversò se constituit debitorem ex causa mutui, ex iis, quae habentur apud Cypic. Latr. & Adden. dec. 38. & 200. & infirmatur sub tit. de Dote dist. 161. & in aliis; Isto enim casu intrat inspectio simulationis ob interesse creditoris, ut in effectu ducto titulus dotis, tã pro potioritate, quã pro cursu fructuum dotialium, cum similibus.

Ubi verò istud interesse cessat, atque crediti veritas ex alia causa concurret, id magis planum est, neque revera intrant termini simulationis, de quibus dist. tit. plus valere quod agitur etc. sed potius intrant alii termini transiitionis crediti de uno contractu in alterum mediante novatione, per quam fingitur, quod pecunia ex una causa debita, per debitorem soluta sit creditori, qui unico contextu per actum à lege occultatum, eam debitori mutuatur, sive in aliam causam credat ad textum in l. 3. §. si autem, ff. ad macedon. & l. singularia, ff. si certum petat. ubi communiter Scribentes, de quibus apud Cypic. Latr. d. dec. 200. n. 1. cum seqq. Leonard. de usur. q. 8. n. 40. & q. 27. in fin. & passim.

Scribentes ergo pro Francisco Maria Reo contendunt, imitebant omnia praemia utpotè vera in casu suo, quando scilicet debitum ex una causa, vel uni personae, sit verum, & legitimum, ac experibile, adeo per simulationem personae, vel causae, fieri veritas, vel substantia non alteretur, neque in ea deterior fiat conditio debitoris, in quo ita fiet debitum id, quod esset indubitum, vel exceptione elidibile; Secus autem dicta circumstantia accedente, ut apud allegatos admittitur tanquam absolutum, ideoque fallacia non erat circa veritatem conclusionum in genere, sed circa applicationem ad factum, dum aderat causa simulandi, neque debitum ex priori causa erat experibile, nisi prius verificaretur conditio in Apostolice beneplacito contenta, & sic erat facere debitum id, quod erat indubitum.

Hinc proinde, istae quaestiones sunt potius facti, & applicationis, quam juris, an scilicet in una, vel altera distinctionis parte verari dicamur, & an debitoris conditio in aliquo deterior fieret, necne, quod contingere potest, non solum circa simulationem causae, quod scilicet fingatur causa licita pro illicita, & non experibile, sed etiam circa simulationem personae; Puta, quia juxta unam opinionem (apud me tamen parum probabilem), si fieri non possit contractus cambii ad favorem creditoris ratione clemenciac, vel alterius qualitates, ideoque fingatur persona secularis, iuxta casus, de quibus dicto tit. de cambiis dist. 6. & 8. Sive quia creditor sit forensis, ideoque incapax acquirendi hypothecae, aliaque jura realia super bonis debitoris, cum similibus; Ac etiam simulari potest persona creditoris ad tollendum obstaculum, quod resultare solet ex beneficio competente debitori ratione reverentiae per creditorem ibi debite, nec conveniri possit ultra quam &c. ut ita concipiatur obligatio sub nomine extranei, in quo dicta ratio non urgeat; Aut quod simuletur persona emptoris pignoris juxta terminos sextus in l. qui sub imagine, Cod. de distract. pignori de quibus sub tit. de empt. & vendit. dist. cur. 31. Quod etiam in tutore prohibito acquirere jura contra pupillum, vel in superiore, seu officiali prohibito contrahere cum subdito, exemplificari solet, cum similibus pro facti qualitate.

In hac autem simulationis materia, certa, & determinata regula dari non potest, quamvis DD. nimium se involvere videantur, utpotè in quaestione facti potius quam juris, ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis regulanda, praesertim in iam dicta verisimilitudinis, vel inverisimilitudinis, cum iupradicta distinctione praesistentis causae simulandi, quae potissimum attendenda est pro faciliiori, vel difficiliiori probatione, prudentis iudicis arbitrio; Ideoque errorum est, doctrinas, ac decisiones de uno casu agentes, omnibus indefinite applicare.

I. A. N.

ANNOT. AD DISC. LXXII. & LXXVIII.

DE materia simulationis in his discursibus peracta, videri poterunt deducit sub tit. de feud. praesertim disc. 7. 24. 30. & 106. sub tit. de Regal. ad materiam officiorum sub tit. de Camb. disc. 9. & 18. de Donat. disc. 59. & 63. de empir. & vendit. disc. 34.

ROMANA PECUNIARIA SEU INDEBITI PRO LAURENTIO LECIO CUM NICOLA DE BENEDICTIS.

Casus verè decisis per Cameram.

DE eadem materia simulationis causae debendi, ac personae debitoris, quod scilicet tertius, pro debito alterius ex diversa causa se constituat debitorem, ex causa mutui sibi facti, an eius obligatio, seu constitutum cesset, probando indebitum; Et aliqua de fide praestanda libris mercantilibus favore ipsius scribentis.

SUMMARIUM.

- 1. Adli series.
2. De invalido constituto pro debito vero.
3. Resolutiones causae.
4. De confessione extrajudiciali.
5. Fides testium reposita est iudicis arbitrio.
6. De materia litterarum cambii acceptarum, an ab eis excusetur acceptor ab decoctionem scribentis.
7. Inter mercatores, & negotiatores proceditur diverso modo, quam inter privatos.
8. De pluribus illationibus ex dicta conclusione.
9. Quod error sit in his materiis procedere, cum regionibus iuris.
10. Quando sit constitutum, vel potius sit novatio, seu transiitio debiti.
11. Indebitum est conclusum, nisi non probandum.
12. Idem de errore.
13. Quod dicta probatio non adesse.
14. Libro non bene tento praebet fides.
15. Vel si continet aliquos errores.
16. Vel ubi campfor deoxxii.
17. & 18. De conclusionem an libri possint in parte approbati, & in parte reprobari.
19. De materia productionis, quando sit prejudicialis.

DISC. LXXVIII.

PER apocham obligatione camerari vallatam, Nicolaus se constituit Laurentii debitorem ex causam mutui, atque, ut per negotiatores dici solet, per alitram, in scutis tribus mille. statuto tempore solvendis; Cumque cessante die creditor pulsaret debitorem, excipiebat isto de simulatione dicti mutui, quodque se obligasset pro debito alieno cuiusdam campfori postea defecti, qui suppositus fuit dicti Laurentii creditor in dicta summa, quod minus verum vicini supponebatur, ex eisdem campforis libris, ob errorem describendi in pagina, seu facta dati, acceptum, seu debitum, & consequenter quod intraret conclusio de qua supra disc. 74. super invalido constituto pro alieno debito, quod indebitum esse confitetur. Quare orta desuper lite coram Thesaurario, prodiit sententia Nicolai debitoris absolutoria, introductaque per appellationem causa in Camera coram Salvato, pro dictae sententiae confirmatione responsum fuit, Commissa verò causa in tertia instantia in eadem Camera coram Gaetano sub die 23. Junii 1662. pro sententiarum infirmatione ad favorem Laurentii responsum est, sed concessa nova audientia, recedendo a decisio, sub die 17. Januarii 1666. priores sententiae confirmatae fuerunt, atque in hac posteriore resolutione perfitum in nova repropotione in fide eiusdem anni, vel initio sequentis, unde prodiit tertia sententia, neque causa ulteriorem progressum habuit.

In duabus, vel tribus ultimis disputationibus, in quibus ego pro Laurentio creditore solum scripsi, tota quaestio erat potius facti quam iuris, super duplici Rei conventi praesupposito, ejusque sufficienti probatione; Primo scilicet,

an constaret de dicta simulatione, tam personae, quam causae, quodque revera ageretur de constituto pro debito alterius; Et secundò, an constaret de allegato indebitio ex quo resultabat invaliditas, seu resultatio dicti constituti, tanquam ex falso praesupposito.

Primi praesuppositi probatio deducebatur ex quibusdam Laurentii creditoris confessionibus extrajudicialibus, super quibus, circa imperfectam, seu non concludentem probationem, tam ob exceptiones personales easdem, quam ob eorundem singularitatem, deducebam easdem, quae in hac materia confessionibus extrajudicialibus habentur infra disc. sequenti, neque in hac materia, utpotè reposita in iudicis arbitrio, iuxta celebrem textum in l. 3. ff. de res. ibi, tu etenim scire potes quanta fides tibi habenda sit, de facili hoc arbitrium de iniuria positiva redargui potest; Quamvis enim de stricto iure testes non essent bene contestes, pluresque paterentur relevantes exceptiones in persona, utpotè eiusdem Nicolai famuli, vel arcto gradu conjuncti; Attamen in contrarium urgebat praesuppositus, quod idem Laurentius in congressibus, seu contraductoribus habitis coram aliquibus ex Iudicibus, id confessus fuisset, quum is ille constanter id negaret, id quodque nullus detur fumus negotiorum, quae in causam propriam inter actorem, & Reum intercesserint.

Dicebam tamen, (ut frequenter occasione aliarum causarum inter negotiatores dicere consuevit, tam in hoc Tribunali, quam in aliis, & praesertim in Rota occasione questionum, de quibus sub tit. de camb. disc. 10. & seq. & 23. & seq. in proposito solentis litterarum cambii iam acceptarum, quarum solutio postea negetur, ob superventam, vel detectam scribentis decoctionem, ex ibi deductis,) Quod non omnia, quae de stricto iure statuta sunt, inter privatos super privatis contraductibus, qui ut plurimum mature, praevio tractatu, atque sapientium consilio celebrati solent, & in quibus intrant termini circumventionis, seu lesionis, admittenda veniunt inter negotiatores, inter quos ob commercii libertatem, quae favori publicum nimium congruit, iuris apices attendendi non veniunt, sed proceditur de bono, & aequo, ex deductis per concivem Robertum Marant. in specul. verbo, ut iudicium mercatorum, Gregor. decif. 126. Baratt. & Aden. dec. 51. & 416. dec. 154. par. 7. recent. dec. 139. par. 10. & passim.

Unde propterea receptum est, ut minores, vel mulieres, de iure communi, vel statuario ad contrahendum absque certis solemnitatibus inhabilitatis, sive per legem restitutionis in integrum beneficio muniti, in negotiis mercaturae, seu commercii currentis inter negotiatores, huiusmodi privilegii non potiantur, ut advertitur supra disc. 75. & sub tit. de alien. & contrah. disc. 34. Prou non intrant exceptiones rei non traditae, vel non numeratae pecuniae, ac similes; praesertim vero istae simulationis personae, vel causae, quoniam ob majorem commoditatem, ac facilitatem commercii, inter negotiatores currere non solet pecunia numerata; sed currunt ordines, vel cedulae, quinimo notulae, ac parvae pagellae habentur pro pecunia verè numerata, atque ita debita, & credita transferuntur de uno in alterum, adeo ut inter eos (juxta locorum sylos) etiam puncti, vel lineae, ut citra, habentur pro publicis instrumentis, magis exequentivis, quam sint ipsa instrumenta; Unde propterea quando pluraquam clarè non confit de fraude, & collusionem, adeo ut tertius, qui pro alio solvere in bona fide mercantili se constituit, collusivè, & fraudenter, (ut vulgò dicitur) in medio postitus fuerit, ponderatur disc. disc. 25. de cambii in dicto proposito acceptationis litterarum cambii; Adeo ut communi sensu negotiatorum Civitatum mercantiliam, ac Emporiorum Europae, erronei, ac improprie reputentur illi merè legales rigores, cum quibus in his materiis Romana Curia procedit, quoniam, verè id congruum, atque libertati commercii praedicialia videtur.

Quoverò ad alterum punctum, praesentis indebiti; Dicebam scribens pro creditore, quod ubi etiam admitenda esset probatio dicti primi assumpti, quod scilicet, verè Laurentius, & Nicolaus pecuniam non mutuasset, ut in apoca dicebatur, sed se obligasset pro eo, quod alter campfor dicto Laurentio debebat; Adhuc tamen, ob negotia inter ipsum Nicolaum, & campforem currentia, verè non intrabant termini simulationis, minusque alii termini puri constituti pro alieno debito in gratiam debitoris, tanquam per speciem cautionis, vel expromissionis, sed potius intrarent termini novationis, vel transfusionis debiti de una persona in aliam, seu de una in aliam speciem debendi, juxta communem traditionem DD. in l. singu-

singularia ff. si cert. pet. & l. Julianus ff. de condit. & demonst. cum concordantibus relatis per elaboratos collectores Amat. resol. 50. & Grass. de except. cap. 17. ac alios modernos frequentes; Quod scilicet ita occultantur plures actus, ille nempe solutionis, quam debitor faceret creditori in pecunia numerata, ac brevi manu eandem pecuniam ipsum debitorum, vel alteri, ut etiam advertitur disc. praeced.

Hoc autem posito, exinde resultare dicebam, quod primo debitore allegante indebitum, vel ex eius persona, seu iure illud allegante tertio, qui pecuniam ita fide numeratae debitorum constituit, in effectu est allegare indebitum, & ejusque repetitionem; Ad hunc autem effectum, ubi agitur de indebitio voluntarie soluto, requiritur ejus perfectio, & omnino concludens probatio, quae excludat contrariam possibilitatem ad committere nota per Crullius in l. cum de indebitio ff. de probat. & per Canonistas in c. fin. de sol. concord. deductis apud Bur. & Add. dec. 52. Rot. dec. 38. par. 5. rec. atque distinguendum inter repetitionem, & imputationem habetur pluries sub tit. de usur. per scribitur disc. 12. & 17.

Et est generale in materia erroris, ut perfectum, atque omnino concludentem probationem exigat, cum exclusioe contrariae possibilitatis ad text. in l. si post divisionem C. de jur. & facti. ignorat. ubi Bald. & ceteri, de quibus Menoch. lib. 6. praesumpt. 22. Rot. decif. 128. n. 13. par. 6. rec. dec. 329. num. 33. & 461. n. 24. par. 9. rec. decif. 138. n. 14. par. 10. & alias frequ.

Illa verò probatio (reflexendo etiam solam veritatem) mihi videbatur deficere; Sicuti è converso videbatur, quod sufficiens adesse in dicto primo supposito, ideoque ex hoc secundo puncto, intellexo posterioribus resolutionibus non acquievit, quoniam processum fuit cum calculis defumptis eidem libris dicti campforis jam defecti, ex quibus, pro meo iudicio, malè defumebatur ea perfectio, & concludens probatio, quae excludat contrariam possibilitatem, adeo ut coarctet negativam alterius causae debendi, quoniam ubi etiam libri essent bene tenti, eisque fides praestanda esset circa partitas dati, & accepti in illis descriptas, non per hoc tamen conclusa, fuit coarctata remanebat dicta negativa, seu exclusiva contrariae possibilitatis, in qua erat punctus, quoniam aliae adesse poterunt partitae extra negotium currentis, quae in libris descriptae non essent.

Et ulterius, verè dicti libri, legales, beneque tenti dici non poterant, utpotè plures patentes defectus; Primo scilicet, quia deficiebat alter liber nuncupatus giornale, neque continebat bene ordinatam distinctionem partitarum juxta tempora, menses, & dies, ita & taliter, quod veritas in eis contenta tractu temporis alterari non possit, ut ad essentiam liberi mercantilis, ac fide digni requiritur Jaf. conf. 4. n. 4. & seq. lib. 5. Rota Gemen. decif. 173. num. 12. & 13. Rota Romana decif. 58. n. 3. par. 2. rec. apud Baratt. decif. 419. n. 2. & apud Cels. decif. 280. num. 6.

Secundò quia convinebantur de pluribus erroribus, inordinatibus, superadditionibus, & apostillis, ex quibus omni proflus fide indigni reddebantur, ex ea clara ratione, quod sicuti in aliquibus erratum dignoscitur, ita & in aliis errari potuit ex hrmatis decif. 1. n. 7. par. 7. decif. 359. num. 12. par. 9. Adden. ad Gregor. decif. 79. num. 6.

Tertiò ob subsequentiam decoctionem scribentis, qui postquam detecta decoctione, latitaverat, atque confugerat ad ecclesiasticam immunitatem (quae rationabiliter decoctoribus juxta sensum Sanctissimi Pontificis Pii V. deneganda veniret), libros per tempus notabile penes se retinuit, quod nimium de fide minus, quoniam ut advertit Stracch. de decolor. par. 3. n. 24. & Rocch. in notabil. de decolor. post secundum vol. consil. notab. 10. n. 30. cum seqq. isti mercatores, qui à publica fide deficiunt, libros alterare, vel adulterare solent, omniaque mala facere.

Scribentes in contrarium, insistebant in eo (in quo etiam Judices potissimum constituerunt fundamentum) quod Laurentius hos libros approbasset, eisque in aliquibus partibus usus esset, praesertim circa solidationem computorum in eis contentorum adversus alios creditores in conductum, ideoque non posset eisdem, quos approbaverat, reprobari.

Verum istud videbatur fragile fundamentum ex pluribus, praesertim verò ex eo, cui nunquam vidi datam adequatam responsum, quod scilicet admitta etiam librorum legalitate, non tamen exinde conclusa remanebat dicta negativa, vel contrariae possibilitatis aliarum causarum debendi; Vel quia per oblivionem, aut ex alio motivo ali-

quae partitae potuerunt non describi in libris; Vel quia essent negotia extraordinaria, ut aliquis sumus daturus; Ideoque indebitum non probari ex inspectione librorum, in specie firmatur per Rot. apud Rojas decif. 189. num. 13.

Et ulterius, conclusio, ut idem libri, vel scripturae dividi non possint, neque in parte approbati, & in parte reprobari, non procedit, quando constat quod non bene, ac legaliter tenti sint, cum tunc in odium non bene impletis ejus munus dividi valeat, ideoque probatur contra scribentem, non autem pro eo, ut bene advertitur per Rot. decif. 359. n. 7. & seq. par. 9. rec. & in Firmata pecuniaria 3. Junii 1650. coram Bichio inter suas decif. 423. num. 14. & 15.

Clarius verò, quia tunc desuper caderet difficultas, quando intentio creditoris, principaliter fundata esset in ipsis libris, ex quibus ejus actionem deduceret, ideoque eorum productio, vel alter usus esset pro meliori titulo, ac principali fundamento, secus autem ubi creditor aliunde ejus actionem deducat, suamque intentionem fundatam jam habeat in alio documento, ut in praesenti; Libri autem ad alium effectum deducuntur, ut advertitur d. decif. 359. n. 6. par. 9. rec. Et conferunt, quae in materia productionis tituli, habentur sub tit. de Regal. disc. 47. & sub tit. de alien. & contradi. disc. 3. ac etiam sub tit. de iudicis, & alibi; Dicebam etenim quod creditor non indiget libris, dabatur manus, ut comburentur, ideoque non videbatur, cum quo juris fundamento, dicta exacta, & concludens probatio, quae negativam coarctaret, atque contrariam possibilitatem excluderet, ex illis deduci posset.

De quaestione autem, an ad effectum repetitionis attendatur indebitum ex parte solventis, vel ex parte recipientis, & de distinctione Accursii bene agitur disc. decif. 423. Bichii num. 49. & seqq.

ROMANA PECUNIARIA SEU CONFSSIONIS PRO JOANNE LAURENTIO DE FRANCHIS CUM ANGELINO DE ANGELINIS.

Casus decisis per Rotam ut infra, postea concordatus. An, & quando debitum probetur per confessiones extrajudiciales Parte praesente, vel absente, respectivè, & de earundem confessionum interpretatione; Et quid de confessionibus contentis in epistolis familiaribus directis eidem creditori, vel tertio.

SUMMARIUM.

- 1. Adli series.
2. Resolutiones causae.
3. Confessio extrajudicialis parte absente de canonica aequitate plenè probat.
4. Sed quod desideretur adminicula.
5. Debet tamen perfectè probari per testes idoneos, & bene contestes.
6. An conclusio, de qua n. 3. procedat in Urbe stante statuto.
7. Exceptio testium suppletur ab adminiculis.
8. Epistole familiares scriptae tertio, an probent.
9. Declaratur conclusio de qua num. 3.
10. De ratione dictae conclusionis, seu canonicae aequitatis, & quid ista operetur.
11. Confessio, ut praedictae debet esse introvaca, & conclusio solvens per necessitè.
12. Solutio est referenda ad causam expressam.
13. De eadem conclusione, de qua num. 3. & 9. quomodo intelligi debeat, & quid in confessione fiducialis cum amico tradente concordiam.

DISC. LXXIX.

PRætendente Angelino, ex variis causis, ut infra, consequi debere à Jo. Laurentio cura 2600. post aliquos concordiae tractatus, introducta lite coram A. C. prodiit sententia favore creditoris in summa scutorum 2245. introductaque per appellationem causa in Rota coram Verolpio sub die 9. Junii 1656. firmatum fuit constare de credito in genere; Quo verò ad summam, vix non fuerunt concordia, & reposita causa sub die 27. Junii 1657. dictum fuit constare de credito in summa scutorum 755. salvo jure creditoris pro residuo, ad cuius resolutionis normam expedita sententia, & commissa per Signaturam denuo causa in eadem Rota coram Celso, cum clausula confitio de duabus conformibus, (quae in Urbe ex Statuto habent vim iuris,) datoque dubio ex rescriptis ventre resultante, an constet

de duabus conformibus, quae veniant exequenda, eoque proposito sub die 7. Junii 1658. affirmativa prodiit resolutio, pro dicta minori summa in secunda sententia Rotali contenta, unde exogusto effectum sortita est; Neutra vero Partium acquiescente, quia creditor pretendebat residuum, debitor autem in eadem Rota coram Albergato, commissa denuo causa in eadem Rota coram Albergato, datoque dubio, an dictae sententiae essent confirmandae, vel infirmandae sub die 5. Decembris 1661. prodiit resolutio pro confirmatione, ad limites secundae sententiae; Reproposita vero causa sub die 19. Junii 1662. ob difficultates habitas, nulla capta vii resolutio, quod aniam dedit honestae concordiae controversiam terminari; Didarumque decisionum prima coram Verosio est impressa decis. 191. part. 12. rec. & tertia coram Celso est inter suas decis. 264.

In his autem disputationibus, cum creditor aliam sui crediti probationem non haberet, nisi deductam ex aliquibus debitoris confessionibus extrajudicialibus, partim ipso creditore praesente, partim vero absente, & ex quibusdam epistolis familiaribus ab eodem debitore cuidam communi amico mediatori conscriptis. Hinc proinde super hoc puncto probationis tota inspectio fuit, an scilicet confessiones essent bene probatae per testes ad id inducos, necne, praesertim vero emissae Parte absente, cum illae, quae supponebantur emissae Parte praesente, non bene probarentur, vel quia per testes singulares, vel quia aequivoce, quidquid in primis decisionibus supponatur.

In hoc autem, punctus erat potius facti, quam juris, super exceptionibus scilicet personalibus testium, ac etiam super eorum dicto, & an essent contestes, necne; Quatenus vero pertinet ad punctum juris, conclusiones videbantur plane, ideoque modica discordantia erat inter scribentes hinc inde; Siquidem ego scribens pro debitore, admittebam conclusionem hodie receptam, quod de canonica aequitate, in Urbe, & Statu Ecclesiastico, a Iustis ecclesiasticis Tribunalibus, ac etiam aliquibus laicalibus aliorum Principatum admitta, illa confessio extrajudicialis Parte absente, quae de jure civili inducit solum femiplenam probationem ex deductis per Mascard. de probat. concl. 447. n. 1. & segg. sufficiat ad plenam, ac perfectam probationem; Potissimum vero, ubi concurrunt adminicula, quae quandoque necessaria reputata fuerunt ex deductis apud Buratt. decis. 901. num. 10. & 11. & decis. 928. num. 1. & in aliis.

Dicebam tamen quod, ne detur exorbitantiarum multiplicatio, ut huic aequitati locus esse requiritur, ut eadem confessio bene concludatur per testes, tam circa istorum, idoneitatem, quam circa exactam contextualitatem, de loco tempore, & verbis, adeo ut verè adit perfecta probatio naturalis, qua concurrente, aequitas canonica favore animae principaliter attendenda, aliud non operatur, nisi moderatiorem subtilitatem juris civilis, super distinctione inter praesentem, & absentiam creditoris; Ideoque circa ipsius naturalis probationis perfectionem circumspici procedendum est, ne alias aequitas in iniquitatem resolvatur, ut bene ceteris relatis habetur apud Cavaler. decis. 492. num. fin. Adde ad Buratt. decis. 113. lit. C. & decis. 294. n. 8. decis. 466. par. 3. rec. decis. 195. n. 4. & 5. par. 10. apud Afflicti. decis. 364. n. 4. plenè in Anconitana pecuniaria 11. Maii 1668. coram Bevilacqua edita in casu, de quo disc. seg. Et consequenter dum testes ad id induci plures patebantur exceptiones, tam in persona, quam in dicto, adeo ut ex hac parte neque integri, neque contestes remaneret, ita quaestio ad hoc factum restringebatur.

Eoque magis advertebam rigorosè in hoc procedendum esse, quoniam quaestio erat inter laicos, atque tanquam in foro laicali ratione Principatus temporalis, ac agebatur de debito contracto in Urbe, ubi viget Statutum, ut servari debeat jus civile, ut in specie advertitur per Rotam decis. 356. n. 1. & segg. par. 6. rec. Quamvis enim istud motivum non esset tutum solum, & de per se consideratum, quoniam ratio dictae aequitatis inductiva, etiam laicis in foro laicali congruit, Attamen videbatur circumstantia aliquo qualiter considerabilis, ad effectum, ut magis circumspici, ac rigorosè circa dictam bene concludentem probationem procedendum esset.

Reflectendo autem ad veritatem, agnoscebam, quod decisiones firmantes creditum in genere, vel in dicta summa minori, essent bene fundatae, quoniam exceptiones, quas testes in persona, & dicto patebantur, bene sanatae, & vel super remanebant à pluribus adminiculis, de quibus in eisdem decisionibus, & praesertim ab epistolis familia-

ribus per debitorem amico, & mediatori conscriptis, & à probationibus (quamvis imperfectis), confessionis factae ipsi creditori periculosa.

Quamvis enim praecitata, nimiumque exorbitans mihi videretur propositio infirmata in d. prima decis. 191. par. 12. 8. recent. n. 8. & apud Cels. dicit. decis. 264. & prius decis. 153. par. 8. rec. n. 9. cum segg. ut scilicet epistola familiaris quamvis tertio conscripta, tanquam species confessionis extrajudicialis factae parte absente, ex eadem canonica aequitate ad perfectam probationem sufficiat quoniam ita esset tollere fidem, & commercium, cum plerumque fiducialiter cum amico dicantur, quae alias negantur.

Adeo ubi etiam agatur de confessione coram testibus, eatenus dicta canonica aequitas recipienda videatur, quatenus agatur de confessione ferio facta coram testibus, quos confitens testificatus esse credere, potuit, vel debuit, secus autem ubi animo discurrendi fiducialiter cum amicis concordiam tractantibus, cum alias esset fidem tollere, omnesque tractatus benevolos impedit; Ad infareorum, quae habentur sub titulo de testamentis circa ipsa dispositiones, vel ultimas voluntates coram testibus praefectas, ut intelligatur quatenus feriosè, ac animo disponendi id exprimitur, & non alias; Ac etiam quia (ut dictum est), ista canonica aequitas aliud ne operatur nisi eam probationem quam lex civilis femiplenam reputat, tolleretur ab ea, quae Parte praesente fiat, plenam reddat, & dictam dictam subtilitatem praesentiae partis, retenta tamen in reliquis, eisdem juris civilis dispositione circa confessionis qualitatem, ac perfectionem, adeo ut dicta propositio ita simpliciter, ac indefinitè sumpta parum probabilis omnino videatur.

Attamen negari non potest, quod hujusmodi epistolae aptae sint aliquod facere adminiculum cum aliis conjungendam, ut praebet fomentum testibus, aliisque probationibus; Quare punctus erat potius circa dictam confessionis interpretationem, quoniam cum inter paritas à creditore praesentibus adessent duae constituentes dictam summam scutorum 700. circiter, provenientes à cessione per actorem reportata à variis rei conventi creditoribus veris, hinc proinde dicebam, quod dictae confessiones in genere, vel aliae in specie dictam summam concludentes, bene referendae venirent ad istam causam, de cuius implemento, vel satisfactioe docebatur, ex vera, & recepta propositione, quod ad effectum, in confesso contenti praedicti, atque perfectam probationem inducat, ea debet esse univoca, & concludens perneceffe, alias, ubi sit aequivoce, atque diversim intellectum habere possit, interpretanda est favore confitentis, ut praedicti quominus heri potest ad text. in l. si quis intentione ff. de judic. Mantie. dec. 169. n. 6. & 205. n. 4. dec. 217. par. 6. rec. n. 9. Adde ad Buratt. decis. 443. n. 5. & frequenter in omni materia; Et consequenter, dum dicta confessio referri poterat ad praedictas debendi causas veras, rectè facebat eius operationem, atque verificabilis remanebat.

Et quamvis, praesertim in ultimis decisionibus coram Celso, & Albergato, nimium insiti videatur in conclusionem, de qua pluries in praecedentibus, quod scilicet ubi solutio habet causam expressam non intrat quaestio, an potius in unam, vel in alteram referenda esset, ut erat casus, quod scilicet solutiones postea sequuta expressam habent dictam causam resultantem, à praefata cessione; Attamen mihi videbatur, quod ista esset inanis evagatio, quoniam punctus non erat an solutio magis ad unam, quam ad alteram causam referri deberet, sed erat circa interpretationem confessionis emissae ante solutionem, quando dicta vera, & non controversa debendi causa praexistebat.

Major igitur difficultas resultabat ex dictis epistolis familiaribus mediatori conscriptis post jam sequutam dictam solutionem, quando ad praefatam causam jam per solutionem extindam, referri non poterat; Verum dicebam, quod talis difficultas non urgeret; Tum quia subtilis dicta confessio probata per testes, ista fiducia facta cum amico, sola & de per se sufficiens non videatur, ex supra deductis; Tum clarius quia dictae epistolae continebant impugnavitè potius, quam approbative enunciationem debiti ex causis in iudicio non exhibibilibus aliquam solum congruentiam rationem habentibus, ex iis, quae habentur deducta sub tit. de alienat. & contract. disc. 49. & pro quibus, tam ex dicta congruenti ratione, quam ad lites evitandas, Jo. Laurentius offerrebat assignare quaedam nomina debitorum, quae numerice quidem importabant dictam summam scutorum 750. circiter, in ultimis decisionibus habitam pro probata, effectivè autem importabant quid modicum ob eorundem nominum in-

inexigibilitatem de jure, vel de facto; Et consequenter non inde inferri poterat ad confessionem, quae induceret perfectam, ac naturalem, & civilem obligationem in iudicio experibilem, cum referri posset ad debitum de facto ex causa superius insinuatam, in iudicio tamen non experibile, & sic occasione fiduciaris tractatus concordiae qui nullatenus attendi debet, cum alias (ut supra) esset tollere fidem, atque praecidere omnes benevolos amicorum tractatus super hujusmodi converventibus.

ANNOT. AD DISC. LXXX. & LXXX.

DE probatione per confessionem judicalem, & extrajudicalem habetur in eadem sede sub tit. de Judic. disc. 23. Et de confessione emissis in testamento habetur sub tit. de Testam. disc. 70.

ANCONITANA PECUNIARIA PRO LAURENTIO CUM ANGELO DE FERRETTIS.

Casus decisus per Rotam pro Angelo.

DE eadem materia probationis debiri per confessionem extrajudicalem; Et quid ubi ista contineatur in testamento postea revocato, ubi contineat qualitatem, quod facta sit pro exoneratione conscientiae.

SUMMARIUM.

- 1 Ad series.
- 2 Resolutio causae.
- 3 Data filio contemplatione patris dicuntur peculium profectivum.
- 4 De confessione extrajudiciali absente parte, quando probet.
- 5 De rationibus ponderatis à Rota, ob quas confessioni in testamento non esset deferendum.
- 6 Confessio facta in testamento revocatur in legatum, & non probat debitum.
- 7 Contrarium, ut probet quando est cum qualitate exonerationis conscientiae.
- 8 Quomodo ista quaestio decidenda sit.
- 9 Ut spectari debeat substantia veritatis.
- 10 & 11 Ut omnes facti circumstantiae non singulariter, sed unitim considerari debeant.
- 12 De confessione dotis, quando probet istius veritatem.
- 13 De eadem confessione, de qua num. 6. & 7. & quae speciet revocationis attendi debeat.
- 14 Probata substantia crediti circa quantitatem, leviores probationes attenduntur.
- 15 Non per hoc, quod non constat de liquidatione, cessat substantia debiti.
- 16 De confessione, de qua num. 3.
- 17 Quando transactio restringitur ad expressam, vel ob amplitudinem verborum complectatur omnia non deducta &c.

DISC. LXXX.

IN testamento ad aliquos annos ante obitum condito, confessus fuit sibi diversis civibus à Laurentio filio legitimo juxta seriem, de qua sub tit. de feud. disc. 15. in servitio Christianissimi Regis existente, transmissas fuisse pecunias, & bona in summa notabili; Cumque postmodum idem Fabricius, universalem omnium bonorum donationem inter vivos sub onere solvendi ejus debita fecisset Angelo ex fratre nepati; Hinc sequuta ejus morte, Laurentius dictum Angelum donatarium pulsavit coram Gubernatore Anconae ad solvendum dictum debitum in testamento confirmatum, atque sententiam favorabilem reportavit pro summa scutorum decem mille; Introducta vero causa in Rota coram Bevilacqua, datoque dubio, an confes. de credito, in secunda propositione sub die 11. Maii 1668. negativa prodiit resolutio, neque hucusque causa ulterio- rem progressum habuit.

In disputationibus autem habitis in Rota, & coram dicto Gubernatore Anconae, (coram quo etiam pro Laurentio scripsi,) tres fuerunt puncti; Primò scilicet, an constaret de credito in genere; Secundò circa ejus quantitatem; Et tertio super remissione, vel satisfactioe resultanti à concordia post dictum testamentum inita inter dictos patrem, & filium, per quam filius accepit à patre scut. 2500. pro omni, & toto eo, quod ab ejus bonis pro legitima, & alimentis, seu aliis praetendere posset.

Card. de Luca Lib. VIII.

Quatenus pertinet ad primum, cum actor ad probationem transmissionis pecuniarum, ac bonorum è Gallia, aliisque partibus, plura in idem cumulare; Primò scilicet causam acquisitionis, in lucrofo munere faciendè emptiones eorum in magno numero pro servitio dicti Regis, & Cardinalis Mazareni ejus primi Ministri; Secundò dictam confessionem in testamento; Tertio plures alias confessiones extrajudiciales ejusdem patris; Quarta alias confessiones extrajudiciales ejusdem patris; Et quoad epistolam familiarem ab eodem patre conscriptam cuidam Religioso.

Scribentes pro Reo convento, cum quorum sensum proce- dit decisio desuper edita, criticando singulas dictarum probationum species; Quatenus pertinet ad primum, ponderabant inverisimilitudinem, quod scilicet adeo brevi tempore, ac in brevitate Laurentius tam magnum lucrum facere poterit; Ac etiam quod ipse Fabricius pater tanquam antiquus benevolus, & familiaris Cardinalis, fuisset in Regio servitio, ejusque intentu introductus Laurentius filius, indeque Scribentes inferebant ad conclusionem, de qua praesertim sub tit. de dot. & alibi, ut quod filio, patris intuitu, & contemplatione datum est, ipsi patri datum censetur, unde propterea remaneat peculium profectivum.

Quo vero ad confessiones extrajudiciales, iidem Scribentes cum nimium copiosis allegationibus deducebant conclusionem, de qua disc. praecedenti, plenè etiam in decisio- ne comprobata, super rigorosa probatione confessionis extrajudicialis per testes idoneos, beneque contestes de loco, tempore, & verbis, quodque propterea attendendi non venient testes singulares, quales in proposito videbantur esse ad id induci; Et quod testes disponentes in genere de transmissione bonorum, & pecuniarum, dicebatur esse simplices attestaciones, cum non essent formiter examinati; Et ad epistolam conscriptam cuidam Religioso, dicebatur quod non esset bene recognita, ac alterius, quod hujusmodi confessio fuisset simulata ad fraudandam donationem inter patrem & filium, vel ad aliud finem, non autem animo obligandi.

Demum verò, circa confessionem factam in testamen- to, decisio breviter tangit quasi per figuram tres respon- siones; Primò scilicet, quod decis. 63. num. 10. & segg. par. 11. recent. in qua late firmatur, ut confessio facta in testamen- to cum qualitate exonerationis conscientiae probet, quamvis illud sit revocatum, & procedat ad pias causas; Secundò quod esset inter patrem & filium; Et tertio quod non exprimitur summa certa, ideoque deficiente subjectum habile super quo Judex sententiam proficere valeat ad regulam text. in leg. 3. & seg. Cod. de sent. quae sine cert. quanti.

E' conversò autem Scribentes pro reo, in hoc latius se diffundebant ad probandum, quod etiam generaliter, multò verò magis, ubi agitur de confessione suspecta inter prohibitos, dicta qualitas exonerationis conscientiae videtur color quaesitus adjectus ad fraudandam legis prohibitionem sive ex stylo Notarii, & consequenter, quod non immutatur natura ultimae voluntatis, quandocumque revocabilis juxta doctrinam Bartoli in l. cum quis decedens §. codicillis ff. de legat. 3. cum concordantibus plenè relatis per Giurb. ad consuet. Messenens. par. 8. cap. 2. glof. 12. Merlin. contr. 85. lib. 1. Cyriac. contr. 347. & habetur sub tit. de Testam. disc. 70.

E' conversò autem alii per hoc parte Scribentes, desumendo totum ex elaboratissimo voto edito per Judicem primae instantiae, in quo per integras paginas, seu columnas, penè centum DD. cumulantur, ad probandum dictam conclusionem, de qua dicto disc. 70. de testam. plenè exornata per Rotam dicta decis. 63. num. 10. & segg. par. 11. recent. super dicta qualitate confessionis pro exoneratione conscientiae.

Mihi videbatur, quod isti labores inanes essent, nullaque urgeret necessitas assumendi singulariter dictarum probationum criticatione, & praesertim disputationem quaestio- nis in abstracto super efficacia, & irrevocabilitate confessionis debiti factae in testamento cum dicta qualitate exonerationis conscientiae, quoniam ut advertitur dicto disc. 70. de Testamentis, ista praesertim quaestio videtur potius facti, quam juris, decidenda pro facti qualitate, & circumstantiis circumspicte considerandis, ex quibus prudens Judex defluere debet, an dicta qualitas, ferio, & accurate per testatorem, de morte, ac aeterna salute in eo testanti actu cogitantem, id verè gerit pro recognitione veritatis, & ne alius ejus animae fide conscientia gravata remaneat, vel potius sit color quaesitus, vel afficta caerulea legatarii sive stylus Notarii &c. Habendo praec oculis illud certum juris